HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

ACADEMIAE HARVARDIANAE
VE RI TAS

QUAESTIONUM GRAMMATICARUM

CAPITA DUO.

SCRIPSIT

ARTHUR BROCK.

IURIEVI (DORPATI).
TYPIS EXPRESSIT C. MATTIESEN.
1897.



Дозволено цензурою. — Юрьевъ, 8 марта 1897 г.

Parentibus carissimis

studiorum primitias

d. d. d.

filius pientissimus.

Praefatio.

In his foliis, quae nunc publici iuris facio, duas res demonstrare studebam. Primum uno exemplo orthographico prolato evincere cupivi nullius scriptoris sermonem ad unam regulam constitui licere, tum docere, quantum praebeat utilitatis rei grammaticae una cum metricae proprietates in poetarum, qui pari metro utuntur, carminibus persequi. Illa quidem in re quamquam me non fugit virorum doctorum sententias post Ritschelii tempora aliquantum commutatas esse, attamen in scriptoribus veteribus edendis nostrae quoque aetatis grammatici persaepe sequuntur aequabilitatem et constantiam rationis orthographicae, velut antiquissimis Romanorum poetis student omnibus usquequaque locis eandem orthographiam tribuere. Apparet nulla in re grammatica tantae severitati studendum esse in Plauto tractando, sed in orthographicis equidem nullum extare scriptorem latinum censeo, qui sibi constans fuerit. Orthographia enim minoris momenti fuit, quam ut quisquam aequabilitatem constantiamque hac in re proferendam curaret. Neque unquam aliter senserunt homines litterarum studiosi paucis exceptis temporibus, ut altera s. XIX parte. An quisquam Germanorum s. XVIII terrunci fecit orthographiam? At mirum quanti formam et versuum et linguae Romani faciebant! Nimium quantum assequi studebant linguae splendorem speciemque, quo studio hoc effecerunt, ut lingua latina eam consecuta sit perfectionem, quam nulla neque ante nec post! At equidem in rebus orthographicis neque Ciceronem neque Caesa-

rem, non Vergilium, non Horatium umbraticos putidosque fuisse videmus. Quanto minus Plauti Catonesve! Licet multi nostrae aetatis viri grammatici hoc sibi persuaserint, tamen nemo unquam adhuc, quod sciam, hoc exemplo satis subtiliter probavit. Quod superlativorum suffixum, ut illud demonstrarem, elegi, id emolumenti praebent superlativi, quod tituli amplissimam eorum copiam suppeditant. Ceterum puto nos eosdem utilitatis fructus cum aliunde, tum ex gerundivorum suffixis perlustrandis percipere posse. — Alterum dissertationis meae caput, in quo a perfecto in -vi derivatae, quae in poesi iambica inveniuntur, formae tractantur, iure a me scriptum esse omnes facile intellegent, qui non ignorant et quanti ad linguam làtinam metrum momenti sit quantamque vim ad illam fingendam habuerit Ennius. Praeterea hoc in capite artis criticae studiosi invenient frustula quaedam cum ad alios poetas pertinentia, tum ad Plauti fabulas, de qnibus in altero praecipue excursu disputavi. — In tertio capite aliquando verbum ire eadem ratione perlustrabitur.

Vitiorum, quae sunt in dissertatione mea, pars velim habeat excusationem! Muneris enim mei officiis plurimis eram occupatus. Rationem brevitatis secutus nonnullis locis nescio an nimis breviter sententias comprehenderim. Qua re si detrimentum ceperit perspicuitas, doleam.

Omnibus praeceptoribus et Dorpatensibus et Bonnensibus, qui studiis meis summa benevolentia faverunt, gratias ago quam maximas. Praeterea beneficiis me obstrinxerunt et v. ill. Josephus Lezius professor Kiewiensis et collegae amicissimi Bernhardus Bursy, Joannes Carlblom, Eduardus Haller.

Errata[1]).

p. 19, lin. 11 a summo: II-o . . . non I-o; lege: I-o . . . non II-o
p. 32, adn. 1: infra; lege: servata infra
p. 56, l. 12 a summo: quodinc.; lege: quod in c.
p. 90, l. 15 a summo: coniuncto; lege: coniuncta
p. 90, adn. 3 transpone in p. 91 ad lin. 6 a summo
p. 92 adn., lin. 4 ab imo: Tru. 286; lege: Tri. 286.
p. 101, l. 7 a summo: haex; lege: haec.
p. 101, l. 7 ab imo: verba; lege: verbi.
p. 107, l. 8 ab imo: guttat; lege: gutta.
p. 116, l. 7 ab imo: absqueté; lege: absque té.
p. 120, l. 2 a summo: ille; lege: illa.
p. 128, l. 4 a summo: meă; lege: meā
p. 128, l. 7 a summo: dico „dabó"; lege: dicó „dabo".

---

1) Leviora quaedam non notavi.

Caput I.

De superlativorum formis.

Omnes quae extant superlativorum figurae hisce sunt similes: „summus, plurimus, optimus, suavissimus, longissimus, facillimus, pulcherrimus, acerrimus, maximus, proximus“, unde sequitur quattuor esse terminationes vel suffixa quae dicuntur: -mo, -imo, -timo, -simo. Suffixa enim quae sunt -rimo et -limo ad suffixum -simo reduci possunt [1]), item „maximus“, „proximus“, sim.; in -issimo autem suffixi -ios, quo gradus comparativus fingitur, forma brevior -is latere videtur, cui -simo adiectum est [2]). Si concedamus viris linguarum peritis -simo ex -timo oriundum esse [3]), tres vel minimum duo suffixa restant: -(i)mo et -timo. Quae unde sint orta ut exploretur cum nostrae aetati prorsus non contigerit, tum veri simillima Brugmanni esse sententia mihi visa est; qui vir doctissimus in libro notissimo „Grundriss der vergleichenden Grammatik“ II p. 156 sq. contendit duobus usos esse suffixis homines qui dicuntur Indogermanos ad gra-

1) Cf. hor-seo = horreo, vel-se = velle (Brugmann, Grundris der vergleichenden Grammatik I p. 430 sq.).

2) Fortasse illud -is ex -ios ortum in „facillimus“ quoque, „pulcherrimus“ sim. inest.

3) Quamquam ne hoc quidem pro certo habendum.

dum superlativum exprimendum: -m̥o (vel -m̥mo) et -tm̥mo [1]). Illud in nominibus quoque numeralibus inesse (cf. septimus = scrt. saptamas), a quibus fortasse ipsum superlativorum suffixum profectum esse [2]), -tm̥mo autem ex -m̥mo ortum esse altero suffixo dentali adiuncto (II p. 166 sq.).

Cum neque ea, quae Brugmannus coniecit, a quoquam quod sciam refutata sint et ea, quae ego e codicum titulorumque usu collegi, optime cum illius sententia congruant, a Brugmanni etymologia proficisci mihi placuit [3]).

Ac primum quidem secundum Brugmanni doctrinam ex -m̥mo, -tm̥mo Indogermanorum in Italia -ĕmo vel -tĕmo factum est. Tum brevis littera vocalis, quae in syllaba aperta sita accentu carebat, si labialis sequebatur, in medium

---

1) Quae -mo syllabae insit vis cum Brugmannus non dicat, Leo Meyer (Vergleich. Grammatik I[2] p. 597) et in -mo et in suffixi -timo syllaba priore stirpem pronominalem quandam latere existimat.

2) Von welchen vielleicht „das ganze Superlativsuffix seinen Ausgang genommen" (Brugmann, l. l. II p. 157 adn.). Miror quantum valeat apud recentissimae aetatis grammaticos ἀναλογία ad superlativorum figuras explanandas; e. g. Stolz, Latein. Grammatik[2] p. 353 haec protulit: „-istimo wurde verdrängt durch -issimo, indem -simo nach dem Muster (!) von plisimus, maximus u. s. w. an die Stelle von -timo trat"; Danielssonis (in Pauli, Altital. Stud. III, 153. 192) sententiâ -issimus ex -istimus per pravam analogiam superlativorum macs-imo, ocs-ime eo ortum est, quod „s" litteram suffixi partem esse falso putassent Romani (cf. Brugmann., Vergl. Gram. II p. 168 adn.).

3) Corssen, Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache II[2] p. 127—130, Leo Meyer, l. l. p. 251, Stolz, Historische Grammatik der lateinischen Sprache I p. 173 nescio quibus causis putaverint superlativi suffixum fuisse -(t)omus, posteaque ex -(t)omus natum esse -(t)umus. Weihrichii dissertatione de gradibus comparationis linguarum Sanscriticae Graecae Latinae Gothicae Giessen. 1869 uti me non potuisse non aegre fero, quod ex Corssenii (II[2] p. 250) annotatione compertum habeo Weihrichii sententiâ -issimus oriundum esse ex -ismo inserenda littera „i" et duplicanda litt. „s" (!).

quendam inter „u“ et „i“ litteras sonum abiit [1]). Hoc verum esse fluctuatione probatur inter „u“ et „i“, quam in litteris latinis codices et tituli memoriae prodiderunt. Meum nunc puto de hac fluctuatione inter -umus et -imus disserere.

Quicunque de his rebus orthographicis ad hoc temporis sententias protulerunt, consentiunt „u“ litteram priorem et vetustiorem huius suffixi vocalem esse [2]), quae exeunte liberae reipublicae aetate in „i“ mutata sit. Quam sententiam falsam esse rationibus etymologicis iam probavimus et nunc idem omnium exemplorum, quae collegimus, indice infra demonstrabimus.

Componam igitur

1) Superlativi formas, quae in frustulis linguae Oscorum et Umbrorum extant,

2) Superlativos, quos e titulis latinis collegi, omnes e volumine primo „Corporis inscriptionum latinarum“, e ceteris voluminibus eos, qui in -umus exeunt,

3) Superlativos ex libris et fragmentis scriptorum latinorum saeculi a. u. c. V-i et VI-i fere omnium, saeculi VII-i et aetatis imperatorum nonnullorum.

---

1) Brugmann, Berichte über die Verhandlungen der kgl. sächsischen Gesellsch. d. Wissensch. Philol.-histor. Cl. 1890, p. 231; cf. praeterea quae idem vir doctissimus Vergl. Gram. I 91 sq. de ǎ indogermanica exposuit, quam in mediam inter u et i litteram mutarunt gentes Italicae, cum littera labialis apertam syllabam excipiebat.

2) Cf. Ritschelius, Prolegomena ad Trinummum, p. XCV (349). Nuper P a r o d i, qui edidit „Osservazioni intorno al suono mediano fra u et i“ in „Studi Italiani di filologia classica I Firenze 1893“, p. 385—434, contendit ex „vocale indistinta davanti a nasale“ (-'mo, -t'mo, apud Brugmannum -mmo, -tmmo) natum esse directa via in linguis italicis -omo, -tomo (non -emo, -temo, ex quibus post -omo, -tomo). Qui cum p. 403 sqq. post Brambachium aliosque iterum grammaticorum de hoc medio sono testimonia composuerit, equidem chartae peperci.

A. Superlativi in titulis oscis, umbricis faliscisque.

In inscriptionibus oscis a Zvetaieffo [1]) collectis superlativi occurrunt hi:

valaemom (= optimum)	Zvet.	231, 10. [2])
valaimas	„	129, 4. 8. 12. [3])
valaimais	„	129, 2. 12.
valaim(ai)s	„	129, 9.
nesimum (= proximum)	„	231, 17. 31.
nesimois	„	231, 25.
maimas (= maximae)	„	231, 3. 7.
pustm[as] (= postrem[ae])	„	110 a; 110 b.
posmom	„	231, 16.

Praeterea in titulo a Buechelero in Mus. Rhen. v. XLV p. 165 edito:

messímais (?) [4])	I 7.
oltiumam	I 11. [5])

Ex hoc indice apparet nusquam superlativum in -umus cadentem extare, semel litteram mediam inter „u“ et „i“ („oltiumam“), quod exemplum maxime est memorabile. In formis „pustm[as]“, „posmom“ ne littera „i“ quidem servata

1) Zvetaieff, Inscriptiones Italiae inferioris dialecticae, Mosquae 1886.

2) Nr. 231 est tabula Bantina.

3) Nr. 129 est lammina plumbea, cuius Buecheleri editio notissima in Mus. Rhen. v. XXXIII p. 1 sqq. extat.

4) Nondum pro certo exploratum est quid hoc verbum sibi velit, nam Buecheler Mus. Rhen. v. XLV p. 168 putat „messímais“ esse = „menstruis“, cum Brugmanno Ber. d. Sächs. Ges. 1890, p. 234 sqq. superlativus adiectivi „medius“ esse videatur.

5) Adiungo numerale:
dekmanniois (= decumanis) Zvet. 87 B, 23.

est. In „valaemom“ suffixum brevius inesse videtur -mo (non -imo)[1]; radicisne pars an suffixi „i“ in „maimas“ sit, discerni nondum licet[2]. Suffixum denique -imo sine dubio in „nesimo“ (et „messímo“) latet[3].

Linguae Umbrorum haecce extant exempla in tabulis Iguvinis, quas Buechelerus divino ingenio interpretatus est[4]:

hondomu (= infimo) VI a 9. 10.
nesimei (= proxime) VI a 9 (bis).
somo (= summum vel summo) VI a 9. 10.
sume (= summum, adv.) II a 15; III 1.

Praeterea numeralia:

promom (= primum)	VII a 52.
prumum	III 15.
prumu	III 3. 23.
nuvime (= nonum, adv.) II a 26.	

Itaque bis habemus suffixum -imo, bis -mo; -omo semel; cum hoc „hondomu“[5]) plane congruit

Faliscorum
Maxomo: Zvet. 60.

---

1) Valae- = vale-, lat. vale-re secundum Buechelerum apud Brunsium, Fontes iuris antiqui[5], p. 48 adn. 6, Mus. Rhen. XXXIII 12 et Buckium, Der Vocalismus der oskischen Sprache Leipzig 1892, p. 18. Sin Plantam sequamur (Planta, Grammatik der Oskisch-Umbrischen Dialekte Strassburg 1893, p. 290), eiusdem stirpis est valae- atque lat. velle.

2) Buecheler, Lexicon Italicum, p. XVI: „mai-mas“; cf. Buck, l. l. p. 24. 137.

3) Cf. Brugmann, Ber. d. Sächs. Ges. 1890, p. 234 sqq. „Dekmannioís“ ex „dekimannioís“, non ex „dekumannioís“ ortum est.

4) „Umbrica interpretatus est Franc. Buecheler Bonnae 1883“.

5) Memento hoc -omu in tabula VI-a litteratura latina incisa inveniri, ne credas scriptum esse „o“ pro „u“.

En habes omnes, quae in titulis dialecticis colligi potuerunt, superlativorum formas. Quae omnes optime conveniunt cum iis, quae supra de suffixi origine exposui praeter „hondomu“ illud Umbrorum, Faliscorum „Maxomo“. Si „hondomu“ ab „hondiumo“ quodam originem traxisse ponamus, ex eo nasci potuit „hondumo“ „i“ litterâ in medio inter „u“ et „i“ sono ab „u“ victâ; tum autem, ut primum „hondumo“ pronuntiari coeptum est, „u“ facile in „o“ mutari potuit, quoniam inter „u“ et „o“ fluctuare proprium est linguae Umbrorum, e. g. in accusativo pluralis substantivorum in -o: veiro (= veirof = viros) VI a 30. 32. 39, aviehclu VI a 10 [1]). Atque saepissime quidem „o“ ex „u“ factum est ante „m“, ut somo = lat. summo; trifo VI b 58 = lat. tribum (accus.) [2]); lat. „duonoro optumo fuise viro“. Quomodo „o“ in „Maxomo“ Faliscorum superlativo (Zvet. 60) explicandum sit, quamquam propter paucitatem titulorum Faliscorum pro certo diiudicari nequit, tamen litterarum „u“ et „o“ affinitatem idem titulus Zvet. 60 ostendit: „Voltio Vec[ineo] Maxomo Juneo he cu[pat]“ = Voltius Vicinius Maximus Junius heic cubant. Utrum Falisci etiam ante „m“ mutaverint „u“ in „o“ necne, nescimus. Sed utut res se habet, mea quidem sententia hae duae formae umbr. hondomu et falisc. Maxomo iniuria et Buechelerum [3]) impulerunt, ut vetustissimum primumque superlativorum fuisse in linguis italicis -omo statueret et Plantam [4]), ut duobus suffivis -omo et -emo usos esse Italicos putaret. Ex quibus Planta etiam

---

1) Buecheler, Umbrica p. 189; cf. eiusdem p. 179: „pronuntiatio inter hanc et illam vocalem saepe fluctuabat“. Exempla, quae attuli, e tabula VI deprompta sunt.

2) Planta, Gram d osk.-umbr. Dial. I p. 123.

3) Mus. Rhen. XLV, p. 169 sq.

4) l. l. p. 316 sqq.

ad hanc sententiam deducitur umbr. oltiumam non ex ital. *oltemam ortum esse, nam sic ratiocinatur l. l.: „dieses (oltemam) musste nach den Gesetzen der oskischen Vokalassimilation zu *oltamam werden.“ Ultimae igitur syllabae vocalis (a) vi futurum fuisse putat, ut „oltemam“ in „oltamam“ mutaretur (non in „oltiumam“); at vero num in iis casibus, quorum terminatio „a“ litteram continet, „e“ in „a“ mutata esset, in reliquis in alias vocales (in „i“ vel „u“). Item quae de „hondomu“ disseruit vir doctissimus, cum dicit: „Auch umbr. hondomu kann schwerlich aus *hondĕmu = *hontĕmod erklärt werden (vgl. S. 250), sondern setzt ein uritalisches *hontomod voraus,“ ea nullis probavit argumentis. At mihi contra, quae supra de superlativorum suffixi origine disputavi, haudquaquam repugnare videntur iis quae e lingua Oscorum Umbrorumque tituli suppeditant exemplis [1]).

B. Superlativi in titulis latinis.

Titulos aetatis liberae reipublicae, quos seorsum ab aetatis imperatoriae inscriptionibus tractavi, non secundum temporum rationes, quae saepissime definiri non possint, disposui, sed secundum suffixa. ita vero, ut notam anni, quo titulus incisus sit, ubicunque sciri potest adicerem.

CIL I.

l-issimus.

parisuma CIL I Nr. 30 = Buecheleri Anthologia epigr. I Nr. 7 Elogium Scipionis Barbati, vel s. u. c. VI

1) Stupeo cum lego quae p. 317 Planta dicit, ut -simo ex -sĕmo (smmo) natum esse probet: „i“ ex „e“ vi „s“ litterae praecedentis factum esse, sicut posterioris aetatis volgus „s“ impurae „i“ praemiserit (iscolasticus, istatuam)! Idem p. 318 hariolatur „nuvime“ ex „nuveme“ ortum esse per ἀναλογίαν numeralium vicen-simus, tricen-simus sim.

(Buech. l. l.) vel post bellum Punicum secundum incisum [1]).

probisuma 1298

carisumae 1413

amantisiumae 1207

(ubi „iu“ vix litterae inter „u“ et „i“ mediae est vestigium, sed potius errore lapicidae ortum).

amantissuma 1080.

[pii]ssumo 1086.

sanctissum[ae] 1096.

carissuma 1103.

Semper igitur in his titulis, qui sunt omnes sepulcrales, superlativi littera „u“ scripti sunt.

II-illumus.

facilumed 198, 28

(S. C. de Bacan., a. 186)

III infimus et infumus.

1) infimo 199, 6 (Sententia Minuciorum, a. 117).
2) infumum 199, 10 „ „ „
   infumo 199, 14. 20 „ „ „

IV maxumus et maximus.

1) maximum 206, 143 (lex Julia municipalis, a. 45)
   maxim[a]m 206, 143 „ „ „
   maximo 1109 (tit. dedicat.).
2) maxsume 200, 39 (lex agraria, a. 111).
   maxsume 1175 (= Buech. I 4; titulus dedicatorius numeris saturniis compositus, a Ritschelio s. u. c. VII initio datus).

1) Cf. E. Woelfflin, Revue de philol. 1890, p. 122.

maxsuma 1080 (tit. sepulcr.).
maxsumo 1402 (tit. dedic.).
maxumam 206, 130 (lex Julia municip., a. 45).
maxume 209, 5 (legis alicuius de quaest. perpet. fragm.).
maxumae 1086 (tit. sepulcr.) [1].

V minimus.

minimus 1408 (bis) (s. a. Chr. II esse videtur).

VI optimus vel optumus.

opituma 1016 (inscr. sepulcr.).
optumo 32 (= Buech. I 6; elogium Scipionis filii Barbati, incisum s. a. Chr. III aut medio aut exeunte).
optuma 200, 27 (lex agraria, a. 111).
optumo 1086 (tit. sepulcr.).
optuma 1098 „ „
„ 1342 „ „
optumo 1109 („Jovi optumo maximo").
„ 1402 (tit. dedicat.).

VII plurumus.

ploirume 32 (= Buech. I 6; elogium Scip. fil. Barb., v. supra).
plouruma 1297 (tit. sepulcr.).
plurumae 198, 55 (lex Acilia repetund., a. 123 vel 122).

VIII prox(s)imus vel prox(s)umus.

1) proxsimum 1291 (lapis miliarius).
2) proxsumeis 197, 14. 16. 23 (lex latina tabulae Bantinae, intra a. 133 et 118).

---

1) Columnae rostratae (CIL I 195), in qua v. 3 [ma]ximos et v. 8 [max]umas occurrunt, rationem non habui, quoniam huius inscriptionis fides orthographica non ita certa est (cf. Woelfflin, Abh. d. Bayer. Akad. d. Wiss. 1890, p. 295 sqq.).

proxsumeis 198, 62 (lex Acilia repetund., a. 123 vel 122).
proxumeis 198, 12. 68 „ „ „
proxsumo 198, 54. 61 „ „ „
[prox]umos 198, 66 „ „ „
proxuma 199, 37. 42 (sententia Minuciorum, a. 117).
proxsumeis 200, 37. 53. 73. 77. 78 (lex agraria, a. 111).
proxsumo 200, 52. 75 „ „ „
proxumum 200, 79 „ „ „
proxsume 202, 41 (lex Cornelia de XX quaestoribus, c. a. 81).
proxsume 205 I 43 (lex Rubria, c. a. 49—42).
proxumeis 206, 24. 41. 144. 154 (lex Julia municip., a. 45).
proxumo 206, 160 „ „ „ „

IX ultumus.

ultuma 1051 (tit. sepulcr.) [1]).

Hunc formarum indicem nobis considerantibus maxime memorabile videtur hoc: cum in libris latinis iam inde ab incunabulis ut ita dicam scriptores vel littera „i“ vel littera „u“ in his superlativorum formis usi sint, in titulis aetatis liberae reipublicae non occurrere litteram tenuem nisi rarissime, atque „minimus“ quidem iam bis saeculo II a. Chr. n., „infimo“ in sententia Minuciorum a. 117 prolata, tum bis „maximus“ in lege Julia quae dicitur municipali anni 45, denique bis in inscriptionibus, quarum aetas accurate definiri non potest: „maximo“ 1109 et „proxsimum“ 1291. Verum de „minimus“ superlativo infra locuturus sum, nullo

1) Numeralia ordinalia occurrunt haecce:
decuma 542 (a. a. Chr. n. 146).
decumam 542 „ „
[de]cuma 1175 (vers. saturn.; v. supra p. 16); 1290.
vicesma 187 (inscr. antiquiss.).
vicensum- 198, 21 (lex Acilia); 199, 27 (Sentent. Minuc.).

tempore scriptum esse: „minumus"; „infimus" autem proxime ad eius rationem orthographicam accedere. His duobus igitur superlativis omissis statuendum est in titulis -imus non ante Caesaris aetatem, cuius de ratione orthographica videas locos Varronianum (GLK VII p. 150) et Quintilianeum (I 7, 21), in usum provenisse. Habes in lege municipali septies „u", „i" bis: „maximus" bis, „maxumus" semel, „proxumus" quinquies. Neque enim subito orthographia antiqua pelli potuit e sermone magistratuum. Hoc autem veri est simile inscriptiones, in quibus -imus scriptum invenitur, saec. a. Chr. II-o incisos esse, non I-o; illi igitur saeculo dabimus titulos 1109 et 1291. — Jamque in primo CIL volumine videmus in superlativo, qui est „optumus", „u" diutius servatum esse, quam in ceteris omnibus, nam CIL I 1109 scriptum habemus: „Jovi optumo maximo".

Duo fere saecula, quibus tituli primi corporis inscriptionum voluminis comprehenduntur Romani scriptitasse -umus videntur: inter 64 superlativos, qui in illo volumine extant, non plus septem sunt scripti -imus.

CIL II—XV [1]).

I-issumus.

1) Aetatis Augusteae et I p. Chr. n. saeculi.

---

1) Ipse non pervestigavi ea CIL volumina, quae, cum iam perfecta sint, indicibus grammaticis editores exornaverunt, h. e. CIL II (et suppl.). III. IV. V. VII. VIII. IX. X. XII. XIV, voluminis autem VI ex tribus tomis qui adhuc prodierunt, tum ex v. III suppl. 1. 2. 3, ex vol. VIII suppl., v. XI parte prima, denique ex v. XV ipse exempla orthographiae vetustioris (-umus), quotquot potui, collegi; superlativos vero in -imus exeuntes omisi quippe qui innumerabiles sint, praeterquam quod eos adnotavi qui una cum formis „u" littera scriptis inveniuntur.

acerbissumum VI 1527 d, 11 (laudatio Turiae, intra a. a. Chr. n. 8 et 2)[1]).

fidissuma VI 1527 e, 43 (laudatio Turiae, intra a. a. Chr. n. 8 et 2).

iustissumum XI 1421, 13 (cenotaph. Pisan. alter., a. p. Chr. 4)[2]).

fidissumus XII 5276 (in carmine elegiaco litteris saeculi primi incipientis scripto).

[cari?]ssumo XII 2665 (Augusti aetate haud recentiorem esse titulum Hirschfeldius censet).

opulentissumi IV 1939 (= Buech. Anth. I 231; carmen trochaicum).

dulcissumo XII 887 (titulus hominis liberi).

2) Saeculi I vel II[3]).

piissumo II 1172 (tit. elegans IV-viro positus aet. Hadriani vel Antonin.).

praestantissumo II 1179 (aevi Antoniniani).

amantissum- VI 11669. 22293 (lib.); X 3955 (lib.).

carissum- VI 6593. 20370 (carm. elegiac.; lib.).

dulcisum XII 3855.

dulcissum XI 469.

indulgentissumae II 2188 (nob.).

---

1) In eodem titulo habes: plurumis, ultumum, firmissimo, minime, simillimam, [s]anctissima; de qua laudatione conferas, quae Vollmer Annal. philol. supplem. XVIII p. 491 disputavit, qui ipse quoque in indice orthographico componendo erravit.

2) In hoc cenotaphio hi superlativi occurrunt: maxsumi, simillumum, bellicosissimis, celeberrimo, maxsimo, maximo (in cenotaphio priore [CIL XI 1420] semper „i").

3) His saeculis omnes tribui titulos, in quibus vel apices vel i-longae scriptae sunt, quamquam haud nescio tertio quoque saeculo lapicidas nonnunquam i-longa usus esse. — Ubi ordo hominum definiri potest, adieci notulas: nob(ilis vir feminave), lib(ertus, -erta), serv(us, -a), sim.

iucundissuma XII 5864 (bis).
novissuma VI 6976, 3 (carm. eleg.) [1]).
pientissumi II 2102b (milit. praetor.).
piissum- II 1317. 2188 (II-viri); V 6027 (lib.); VI 5086.
sanctissum- IX 60, 8 (carm. dactyl.); X 3182 (lib.).
XIV 1808, 12 (carm. eleg.).

3) Aetatis incertae:
amantissumae X 294.
carissumae VI 20397; XII 5815.
dulcissum VI 5615
f]rugalissumae IX 4788 (seviri; litteris pulchris incisus).
infelicissuma III 2597; VI 8707 (aeditui).
pietisum X 7545.
pientisum- [2]) II 2828; III 11054; XII 4128.
pientissum- VI 10537; X 7242; XII 914.
piissum- II 389. 925. 1678 („flaminicae domus Augustae“).
2345 (nob.).
praes]tantissumo II 2056 (nob.).
sanctissumae VI 8833 (dispensatoris).
san]ctissuma III 7372.
sapientissumo II 597.

II-errumus.

miserruma VI 5263 (s. I vel II; lib.).
miserrumum X 2780.

III-illumus.

simillumum XI 1421, 13 (Cenot. Pisan. alter.; a. p. Chr. 4) [3]).

1) In eodem titulo: „novissima“.
2) Cf. Diez, Gram. d. Roman. Spr. II³ p. 70.
3) Cf. p. 20 adn. 2.

IV—VII infumus, intumus, minumus, pessumus.

Nusquam.

VIII maxumus [1]).

1) A morte Caesaris dictatoris ad finem s. I p. Chr. n.
maxumus II 5406 (aet. sive Caes. sive Aug.) [2]).
maxum[o] VI 876 (aet. Aug., post a. a. Chr. 12).
maxumi IX 5680 (a. a. Chr. 4/3?).
maxsumi XI 1421, 8 (cenot. Pisan. alter., a. p. Chr. 4) [3]).
maxumo II 5182 (a. p. Chr. 10).
maxumo II 2037 (a. p. Chr. 24/5).
maxum(us) II 4935 (a. p. Chr. 32/3).
maxumus II 1660 (aet. Tiber.).
maxumo II 1051 (aet. Flav., ut videtur).
maxu[mum] IV 1811 (= Buech. Anth. I 35; senar.) [4]).
maxumum IV 1870 (= 1811 „ „ „) [4]).
maxsumus II 4721 (a. 90).
maxumus II 4722 (a. 90).
maxum(us) II 4673 (a. 98/9).
maxumum VI 8681 (aet. Nervae).

2) Saec. II.
maxsumo II 2010 (a. 109/10).
maxumo II 2054 (a. 117).
maxumorum II 6278, 51 (S. C. Italicense, intra a. 176 et 180).

3) Saec. III.
maxuma VIII 646, 7 (oratio rhythmica ita composita, ut „Querolus") [5]).

important

1) In maiore parte inscriptionum, quae hic collectae sunt, „maxumus" compositum est cum „pontifex", imperatorum titulo.

2) „Optumus maxumusque".

3) Cf. p. 20 adn. 2.

4) In eodem versu: „minimum".

5) Willmannsius adnotavit haec carmina aevo imperatoris Alexandri vix esse posteriora, litterarum formam sibi visam esse saeculi fere tertii ineuntis.

4) Aetatis incertae.
maxsumo II 2697. 5565.
maxumo II 170; III 9958; XII 1565. 5734 [1]).

IX optumus.

1) A. C. Julii Caesaris morte usque ad finem s. p. Chr. I.
optumo [2]) II 5439 I 4, 36 (lex Ursonensis, a. 44. a. Chr.).
optuma [3]) II 5439 I 5, 15 „ „ „
optumus II 5406 (aet. Caes. sive August.).
optumus X 3903 [4]) (aet. August.).
optumae XIV 3661 (init. s. p. Chr. I; lib.).
optumo XI 3872 [5]) (a. p. Chr. 32/3; nob.).
optumi X 1401, 3 [6]) (S. C. de aedificiis non diruendis, intra a. 44 et 46).
optume (= ae) XIV 3920 (aet. Claud. imperat.).
optumae XI 3173 (tit. fortasse ab illo Vestini servo positus, qui a. 65 a Nerone occisus est).
optumi X 7852 [7]) (procos. decr., a. 69).
optumo VI 3580 [8]) (tit. milit., aet. Vespas.).
optumae VI 12037 (Vespas. aet.).
optume IV 1923 (inscript. pariet. Pompei.).
optumo IV 2184 „ „ „
optum(o) II 1963 II 26 [9]) (lex Salpensana, intra a. 82 et 84).

---

1) Praeterea formam „maxumus“ in Galliae Narbonensis miliariis passim scribi Hirschfeldius in CIL v. XII indice grammatico dicit.
2) „optima lege optumo iure“.
3) „optuma lege“,
4) In codem titulo: „optimis“, maximis“ al.
5) Praeterea: „maximo“, „iustissimo“.
6) Praeterea occurrunt formae cum „i“ littera (-issimus).
7) „Optumi maximique principis“; praeterea: -issimus, „ultimus“.
8) Ibidem: „sanctissime“.
9) „Optumo iure“.

optum[i] X 444 (aet. Domitian.).
op(i)tumae VI 17115 [1]) (aet. Domitian.; serv.).
optumae XII 720 (s. I; libert.).

2) Saec. p. Chr. II.
optumo VI 956 (a. 104).
optumo II 2010 [2]) (a. 109/10).
optumo XIV 3597 (aet. Traj.; tit. consuli a filio positus).
optumo II 2054 (bis) [3]) (a. 117).
optumo II 1733 (aet. fere Traj.; libert.).
optumae XIV 3579 [4]) (laudatio funebris in honorem Matidiae, quae diem obiit a. 119).
optumi XII 3164 (s. II ineuntis; nob.).
optumo II 1324 (aet. Antonin.).
optuma XII 81 (s. II; nob.).
optume XII 780 (s. II).
optumo XII 4354 [5]) (s. II; nob.).

3) Saec. I vel II.
optum XII 270 (libertus patrono).
optuma VI 24197.
optumae II 6271 [6]); VI 1889 [7]) (lict.). 13323. 14308. 14452 [8]) (lib.). 16162 (lib.). 16400 [9]) (lib.). 18321

---

1) In eadem inscriptione „karissime“ scriptum est.
2) „Traiano . . . optumo maxsumoque principi“.
3) „Traiano . . . optumo maxumoque principi“.
4) In hac laudatione, quam princeps Hadrianus vel habuit vel scripsit (cf. et Dessauium et Vollmerum Annal. philol. Suppl. XVIII p. 525), praeter hanc unam formam omnes superlativi „i“ littera scripti sunt: „plurimis“, „castissima“, „imago tristissima socrus optumae“, al.
5) In eadem inscr.: „amplissimum“.
6) Ibidem: „optumis piissimis“.
7) „optumae et sanctissimae feminae“.
8) Ibidem: „piissimae“.
9) In eodem titulo: „piissimo“.

(lib.). 18429 (lib.?). 23556 [1]); IX 5534 (nob.); X 2453 (lib.); XII 3196 (nob.). 3512 (lib.); XIV 3842.

optume VI 10973. 16456.

optumi VI 2156 (VII-viri epul.).

optumis II 6271 [2]); VI 1881 [3]) (lict.); IX 4166, 8 [4]) (Sevir. Aug.).

optumo II 2030 (II-viro filius); VI 1975 (accensi). 2188/9 [5]) (kalator.). 7695. 8427. (tit. officialis). 10166 (tit. servi dispensatoris). 14975 [6]); VIII 4008 (lib.); X 1493 [7]) (nob.); XII 408. 3208 (lib.). 3254. 3457 [7]). 3976; XIV 329.

optum[o] VI 12029. 18062.

optumus II 1728 (sacerdot.).

4) S. III.

optuma VIII 646, 5 [8]) („Saec. fere tertii ineuntis“ Wilmanns.).

optumae XII 3561 [9]) (s. III incip.).

optumae VI 20679 (titulus a Severi imperatoris liberto positus).

5) Saec. IV.

optumae VI 1773 [10]) (post medium saec. IV).

6) Aetatis incertae.

optuma XI 3483 („obtuma“).

---

1) In eodem titulo: „indulgentissimae“.
2) Cf. p. 24 adn. 6.
3) Praeterea occurrunt: „dulcissimis“, „optime“.
4) „Optumis piissimis“.
5) „Optumo ac reverentissimo“.
6) „optumo et piissimo“.
7) Ibidem: „karissimo“.
8) In Mausoleo Juliorum (prov. Byzacena); cf. p. 20 adn. 38.
9) Hirschfeldius: „litteris saec. III-ii; ego propter i-longam saec. III-ii initio tribui.
10) In hoc titulo sepulcrali extat quoque forma: „dilectissimae“.

optumae II 28. 6015; VI 7732 [1]). 13813. 14586 [2]). 14980. 15439 (lib.). 15546. 15548 [3]). 17059. 17489. 19617 (serv.). 22470. 24036; VIII 4128 [4]). 9264; IX 4818 (lib.). 4840; X 577. 2064. 3472. 4203; XI 1460. 3702. 3958; XII 829. 1425. 2894. 3390 [5]). 3544. 3668. 3830 [6]). 3925. 3988. 3989.

optu[mae?] IX 5556.

optumam V 4078 (= Buech. Anthol. I 84).

optume VI 9952 [7]) (tit. vascularii); X 7143; XII 350. 3880 [8]). 5844 (lib.?).

optumi VIII 16325 [9]) (lib.).

optum[is] IX 2560.

optumo II 170. 261 [10]). 501 [11]). 2056 (nob.); VI 384 [12]). 411 [12]). 8724 (architect. Aug.). 9952 [13]) (vascular.). 12196. (13328) [14]). 13611. 15030 (lib.). 19498. 19536. 19967. 19990. 19995 (serv.). 20756 (lib.). 21175 [15]). 21921 [16]). 23419; IX 2855; X 325 [17]) (lib.). 6227 (VII-viro epul.); XI 3156 [18]) (lib.). 3382 (nob.);

---

1) Ibidem: „infelicissimus".
2) Ibidem: „indulgentissimae", „dulcissimo".
3) Ibidem: „piissimae".
4) Ibidem: „rarissime (= ae)".
5) Ibidem: „piissimae".
6) „Litteris aetatis posterioris" Hirschfeldius.
7) „Indulgentissimo optume de se merito."
8) In eodem titulo: „pientissim".
9) Ibidem: „piissimi religiosissimi".
10) In ead. inscr.: „piissimo".
11) Ibidem: „maximae".
12) „Jovi optumo maximo".
13) Cf. adn. 7.
14) Titulus suspectus.
15) In eadem inscr.: „karissimo", „sanctissmo" (sic!).
16) „Optumo et indulgentissimo".
17) Ibidem „rarissimae".
18) In eodem titulo: „indulgentissimo".

XII 1455. 3265 (lib.). 5734; XIV 2364 [1]). 2469 (lib.). 2709. 2768 (nob.).

optumus VI 5992 (lib.). 16903 [2]). 17342 (carmen elegiacum); X 1962.

otuma XI 3470.

otume (= optumae) VI 11831.

optomo II 4291.

X plurumus.

plurumis VI 1527 c, 42 [3]) (Laudatio Turiae, intra a. a. Chr. 8—2).

pluruma III 11229 (Tit. hexam. veterani leg. XV; s. I vel II) [4]).

XI proxumus.

1) Ab a. a. Chr. 44 ad a. 100 p. Chr.

proxumis [5]) II 5439 I 4, 10; I 5, 28; II 3, 11; III 1, 3; III 2, 3 [6]) (lex Ursonens., a. a. Chr. 44).

proxumus X 4842, 27 [7]) (edictum Augusti de aquaeductu Venafrano).

proxumum VI 2025 (Acta Arvalium, a. p. Chr. 36).

proxum- II 1963 I 43. 44; II 15. 39. 42 [8]) (lex Salpensana, intra a. 82 et 84).

---

1) In eod. tit.: „carissimae", „indulgentissimo".

2) Ibidem quater: -issimus.

3) Vide adn. 1 in p. 20.

4) Fortasse huc reiciendus titulus (iam supra p. 17 a me laudatus) IX 4463 = I 1297, qui antiquitatem adfectat.

5) „In diebus (vel annis) . . . proxumis".

6) Cf. p. 23 adn. 2 et 3.

7) In eodem titulo: „maxime".

8) „In diebus proxumis", „in triduo proxumo" (II 15), „adgnatus proxumus" (II 43).

proxumeis IX 2652, 3 [1]) (fortasse aetatis Augusteae).
proxum[o] IX 4922 (= Buech. Anth. I 62; senar.) (fortasse aetatis Augusteae).

2) Saec. I vel II.
p]roxume XIV 375 (decret. decurion., aetatis M. Aurelii imperatoris).
proxumus VI 11383.
Praeterea: „proxumitate" VI 18579.

3) Aet. incert.
proxumo IX 2641.

XII ultumus.

ultumum VI 1527 d, 67 [2]) (laudat. Turiae, intra a. 8 et 2 a. Chr.).
ultuma XII 915, 10 (= Buech. Anth. I 470, 6; carm. dactyl. antiquitatem adfectans, s. I-i extr. vel ineunt. II-i).
ultumum IX 3158, 3 [3]) (nob.).
ultuma III 2722 (versus rudes).

Hi sunt fere omnes superlativi antiquo more scripti, quos e titulis aetatis imperatorum Romanorum colligere potui: sunt autem circa 260 inter tot milia. Hanc congeriem contemplantibus apertum est, cur eos sic secundum terminationes singulosque superlativos digerere maluerim: id quod apud scriptores mox videbimus, hic quoque luce clarius est, quosdam superlativos saepius quam ceteros „u" littera scribi solitos esse. Inter 261 exempla plus dimidium (ca 158) per-

1) Ibidem: „proximis".
2) Cf. p. 20 adn. 1.
3) In eodem titulo occurrunt: „maximis", „sanctissimum", „probissimo".

tinent ad „optumus", 50-ies inveni -issumus, 25-ies „maxumus", 18-ies „proxumus", cum ceteri rarissime „u" littera scripti sint: „ultumus"-quater, -errumus, „plurumus" bis singuli, -illumus semel, nunquam occurrit: „minumus", „infumus", „intumus", „pessumus". Tum ratio singulorum titulorum, quorum certa est aetas, respicienda est:

1) a. 44 a. Chr. in Lege Ursonensi septies scriptum est „u", semel „i":
„optuma", „optumo"; „proxumis"-quinquies; „optima".

2) a. 8—2 a. Chr. n. in Laudatione Turiae quater „u", quater „i":
„acerbissumum", „fidissuma", „plurumis", „ultumum"; „firmissimo", „[s]anctissima", „simillimam", „minime".

3) a. 2/3 p. Chr. in Cenotaphio Pisano I semper „i": maxim- vel maxsim- -quater; „plurimos".

4) a. 4 p. Chr. in Cenotaphio Pisano II ter „u", quinquies „i":
„maxsumi", „iustissumum", „simillumum";
„maxsimis", „maxsimo", „maximo", bellicosissimis", „celeberrimo".

5) a. 14 in Monumento Ancyrano semper „i" [1]).

6) a. 44—46 in S. C. de aedificiis non diruendis: „optumi";
„augustissimo", „cruentissimo", „inimicissimam".

7) a. 48 in S. C. Claudiano de iure honorum Gallis dando (CIL XII 1929) semper „i":

1) Monum. Anc. VI 28 scriptum est „septuagensu[mum]", sed dubium est an extrema inscriptionis pars non ab ipso Augusto scripta sit (cf. Mommsenius, Res gestae Divi Augusti, ed. 2-a Berol. 1883 p. 194).

„familiarissime", „fidelissimus", „indignissimo", „nobilissimum", „ornatissima", „valentissima"; bis „maxime".

8) a. 56 in S. C. de aedificiis non diruendis (X 1401):
„clarissimum", „ornatissimi".

9) a. 69 in Decreto procos. Sardin. (X 7852):
„optumi"
„ornatissimus", „clarissimus", „maximi".

10) a. 81—84 in Lege Malacitana semper „i":
„plurimo"; quater proxim-.

11) a. 82—84 in Lege Salpensana semper „u":
proxum- quinquies; „optum(o)".

12) sub fin s. I in Lege metalli Vipascensis:
„proxumo"
„proximo".

13) a. 119 in Laudatione Matidiae:
„optumae";
-entissimus, „tristissima", „carissima", „longissimo", „castissima", -entissima, „indulgentissima", „longissimis".

14) a. 137 in Lege arae Jovis Salonitanae (III 1933):
„infimum"; „maxime" bis; „optime" bis.

15) a. 176—180 in S. C. Italicensi:
„maxumorum"
„maximi" -ter.

16) a. 180—183 in Decreto Commodi de saltu Burunitano (VIII 10570):
„felicissimum", „gratiosissim-" -bis, „sacratissime", „sanctissimi", „miserrimos", „maximus".

18) a. 301 in Edicto Diocletiani de pretiis re-

rum venalium (CIL III 2 p. 801 sqq.):
Superlativi semper „i„ littera scripti.

Hic conspectus nos docet non subito post Caesaris mortem orthographiam novam in usum venisse in titulis Romanis atque ni fallor in sermone senatus magistratuumque Augusti imperatoris exemplum [1]) effecit, ut „i“ littera „u“ loco scriberetur. Sed ne post illius quidem aetatem scribendi ratio constans fit, nam scribae senatorii etiam duo fere saecula post Augustum nonnunquam „u“ scriptitabant, ut in senatus consulto Italicensi (intra a. 176—180) „maxumorum“. Sed cum neque illi quidem -umus scriberent nisi perraro, idque fortasse neglegentia, neque II saec. saepius quam semel bisve, longius antiqua ratio in stilo hominum privatorum [2]) haesit, nam saeculi II habemus copiam non exiguam huiusmodi exemplorum, tum quattuor s. III ineuntis exempla extant, quin etiam in titulo VI 1773 post medium saeculum quartum inciso „optumae“ scriptum est. Verum hoc exemplo extra rationem posito, quod vel miro casu vel antiquitatis adfectatione exortum videtur, legem statuere licet titulos, in quibus haec orthographia vetustior adhibita est, omnes ante s. III initium positos esse. Omnium diutissime valuisse hanc rationem in superlativo „optumus“ per se patet. Denique hoc quoque observavi nunquam „u“ scripsisse Romanos Britanniam incolentes, rarissime qui in Gallia Cisalpina habitabant et in provinciis Africanis, item raro quorum tituli in CIL volumine III a Mommseno collecti sunt, saepissime ii, qui Romae degebant.

1) Cf. notissimum Suetonii testimonium in Aug. c. 87.

2) Si quis ex me quaerat, utrum ordinis senatorii equestrisve homines an plebes indocta aut homines liberi an liberti saepius „u“ scripserint, quid respondeam haud scio.

C. Superlativorum orthographia in codicibus scriptorum latinorum.

I) Superlativi apud Plautum.

Primum omnium superlativorum, quos e Plauti fabulis collegimus, indicem proponemus, omissis formis „summus", „imus", „supremus", „extremus", „primus", sim., qui non per suffixum -imo vel -umo, sed per suffixum -mo derivati sunt; excepimus quoque superlativos, qui in fragmentis Plautinis extant [1]) praeter codicis rescripti Ambrosiani fragmenta Vidulariae. Codicis F et editionis principis Z rationem non habendam esse putavimus cum multis de causis tum quod Ritscheliani non omnes minutias orthographicas librorum recentiorum enotaverunt; item Britannici (J) rem orthographicam neglexímus, quo dilucidiora fiant argumenta nostra ex ceteris codd. prompta, quamquam in schedulis omnia memorabilia ex hoc quoque libro excerpseramus [2]). — Formas pro suffixorum ratione disposuimus, non secundum casuum terminationes, quas nullam vim ad praecedentem syllabam per „u" aut „i" scribendam habere animadvertimus; eandem ob causam adverbia ab adiectivis non seiunximus.

I -issimus vel -issumus.

a) Codex Ambrosianus extat:

1) Omnes codd. cum A praebent „i":

Ba. 556. Cas. 667. 694. Ep. 160. 623. Merc. 305. 483. Mil. 602. Poen. 1176. 1177. 1282. Ps. 351. 389.

---

1) Fragmenta a grammaticis aliisque scriptoribus infra collocavimus.

2) Cum codices EV semper laudemus, Britannici cognati scripturae omitti posse videbantur, ac ne in omnibus quidem fabulis illius lectiones editae sunt: cf. Schoellii praef. ad ed. Capt., p. XI; Cas., p. XIX.

461. 1321. R. 754. St. 157b. 164. 189. 389. Tri. 94. 476. 493. 1072. Tru. 251.

2) Omnes codd. c. A „u“:
Ep. 510. Poen. 452. Ps. 1169. St. 184. 273.

3) A habet „i“, cet. vel omnes vel nonnulli „u“ [1]):
Mil. 57. Poen. 411. 1127. Ps. 365. St. 123. 382 (C). 401. Tri. 542.

4) A „u“, cet. libri vel omnes vel nonnulli „i“:
Men. 302. 517. Mo. 656. Pers. 522 (D). 541 (BD). 633. Poen. 708 (CD). 1149. Ps. 288 (B). 739. 848. St. 246. 529.

b) Codex A hisce in versibus non extat:

1) Omnes libri „i“:
Amp. 552. 561. 907. As. 282. 521. 737. 897. 922. Aul. 335. 633. 723. 745. 756. Ba. 117. 309. 1098. Cp. pr. 67. 235. 271. 333. 352. 386. 666. 714. 775. Cas. 375. 496. Cist. 63. 69. pr. 193. Cu. 15. 15a. 16. 20 (bis). 79. 121. 506. Men. 147. 148. 149. 359. 698. 819. 835. 853. 924. 1002. 1003. 1058. 1111. 1147. Merc. 206. 211. 645. Mil. 666. 788. 1098. 1382. Mo. 262. 340. 623. 911. 1135. Poen. 206. 506. 510. 795. 1195. 1197. Ps. 746. 805. 806. 1161. R. 610. 652. 662. 706. 722. 751. 757. 843. 985. 1029. 1044. 1246. 1375. St. 726. Tri. 588. 880. 988. Tru. 557.

2) B cum omn. cet. codd. (CDEV) „u“:
Aul. 668. 825. Cp. 74. 278. Cas. 534. Cu. 93. 149. Ep. 430. Merc. 825. Mil. 941 (bis). Pers. 830. St. 660. Tru. 548.

---

1) Quorum versuum numeris nullam notam adieci, in iis omnes codices praeter A consentiunt; si adscripsi e. g. BV, codd. BV cum A faciunt.

3) B „i", cet. codd. vel omnes vel nonnulli „u" [1]):
As. 314. Aul. 466. Men. 106. Merc. 688. 795 (D); praeterea Men. 488 (BD; — C: $\overset{u}{i}$).

4) B „u", cet. libri vel omnes vel nonnulli „i":
Ep. 725. Men. pr. 6 (C). Merc. 658 (C). Mo. 52 (D). Per. 791 (D). Ps. 323. Tri. 926.

II -errimus vel -errumus.

a) Cod. A servavit superlativi formas his in versibus:

1) Omnes libri c. A „i":
Mo. 593. 983. Tri. 31.

2) Omnes libri c. A „u":
Ba. 538. Ps. 364. 1303. Tri. 540.

3) A „i", cet codd. vel omnes vel plerique „u" [2]):
Merc. 284. Mil. 713 (B). Tri. 393.

4) AB „u", VE „i":
Cas. 590.

b) In cod. A non traditae sunt hae formae:

1) Omn. codd. „i":
Amp. 590. Aul. 227. 443. Cp. 463. Men. 817. Pers. 779. Ps. 74. R. pr. 70. 158 St. 738. Tru. 172.

2) Omn. codd. „u":
Ba. 371. 471. 1067. Cp. 822. Men. 595. Merc. 796. Poen. pr. 90.

3) B „i", cet. libri vel omnes vel nonnulli „u":
Cist. 537 (E). Mil. 1312.

4) BD „u", E „i":
As. 134. 551.

---

1) Numeris notas eorum librorum adscribebam, qui cum B consentiunt.

2) Cf. 33 adn. 1.

III -illimus aut -illumus.

a) Codd. c. A „i“:
St. 116.

b) Codicis A lectio deperdita est:
1) Omn. codd. „i“:
As. 215. Ba. 913. Cist. 80. Mil. 246.
2) Omn. codd. „u“:
As. 241. Cu. 586 (E[1] „i“). Tri. 630.

IV infimus et infumus.

a) Omnes libri cum A „i„:
St. 236. 493 (bis).

b) Omnes codd. „i“, sed A deest.:
As. 891. Cp. 305. Cu. 475. Mo. 825.

V intimus et intumus.

a) Ambrosianus nusquam hunc superlativum exhibet.

b) 1) Cet. omn. codd. „i“:
Mil. pr. 108. R. 673. Tru. 600.
2) Cet. omn. „u“:
Tru. 79.

VI maximus vel maxumus.

a) 1) A cum cet. codd. „i“:
Ep. 215. Men. 571. Mil. 388. Mo. 775. Pers. 301. 352. 599. Poen. 749. R. 541. 775. St. 164. 199. 248. Tri. 33 [1]). 319. 529. 647.
2) A cum reliquis „u“:
Cas. 825 (E[1] „i“). Mil. 1151. St. 539.

---

1) „Maximam“ Loewius legit post Studemundum, qui „maxumam“ notaverat.

3) A „i", cet. vel omnes vel nonnulli „u":
Men. 572 (D „$\overset{u}{i}$"). Merc. 569 (B). Mil. 364. 547 (B). 703. 855b. 1135. Pers. 512. Ps. 211. St. 209. Tri. 413 (Da). 664.

4) A „u", cet. „i":
Ba. 925. Cas. 549. 584 (BE). 992. Ep. 233. Men. 259. Mil. 1153. Poen. 347. 1203. Ps. 189. 433. 661. 897. R. 217. 518.

5) A „u", in Cistell. et Vidul. fragm.:
Cist. 261. 279. Vidul 19 G. (= 125 W.). 42 G. (= 148 W.). 70 G. (= 176 W.).

b) A deficit.

1) Omn. libri „i":
Amp. pr. 10. pr. 132. 189. 192. 219. 244. 464. 745. 772. 782. 1109. As. 269. 282. 723. Aul. 158. 364. 485. 643. Cp. 99. 232. 398. 469. 769. Cas. 449. 907. Cu. 427. Ep. 715. Men. pr. 66. pr. 67, 328. 430. 1013. 1118. Merc. 121. 442. 632. 887. Mil. 781. 1024. Mo. 280. 352. 392. 488. 752. 899. 1009. 1098. 1144. Pers. 475. Poen. 842. Ps. 495. 776. 778. 1025. 1042. R. pr. 56. 1353. 1410. Tri. 598. Tru. 65.

2) Omn. libri „u":
Ep. 78. 329. Mil. 279. 788. 1101. 1366. Mo. 251. Tri. 813. 1087. Tru. 591.

3) B „i", cet. codd. vel omnes vel nonnulli „u":
Amp. 199 (E) (bis). 832. 994 (E). As. 577 (DE). 857 (E). 904 (DE). Ba. 724/5. 1002. 1004. Cp. 531 (E). Men. 100 (D „$\overset{u}{i}$"). Merc. 840. Mil. 75. 428. Mo. 420 (C). Poen. 226.

4) B „u", cet. codd. vel omnes vel nonnulli „i":
Amp. 427 (D). 875 (D). 1663 (D). 1095 (D). As. 91.

Aul. 667 (DV). Cp. 222 (DV). 645. 661. 681. 936. Cas. pr. 2 (E). 611 (E). 937. Cist. 601 (V). Cu. 41. 315. Merc. 596 (D). 824 (D). Ps. 269 (D). Tru. 191 (C).

VII minimus aut minumus.

a) 1) Codd. c. A „i“:
Cas. 594. Ep. 494. 502. Mil. 356. 558. 713. Mo. 693. Pers. 590. Poen. 327. 690. 1336. Ps. 269. St. 27. 83. 120 (bis). Tri. 752 (bis).

2) Cod. A „i“, in Vidulariae fragmentis:
42 G. (= 148 W.) et 43 G. (= 149 W.) [1]).

b) 1) Cet. codd. omn. „i“:
As. 858. Aul. 384. Ba. 87. 444. 1187. Cp. 545. 645. Cu. 206. Ep. 295. 296. Men. 338. 489. 1035. 1122. Merc. 421. Mil. 647 (bis). 1001. 1242. Mo. 272. 1097. Ps. 776. R. 505. 720. 1245. Tri. 925. Tru. 873.

2) Codd. „u“ (?) (ex silentio!):
Cp. 323 (V „i“).

VIII optimus vel optumus.

a) Codex A extat.

1) Omn. codd. c. A „i“:
Ep. 725. Mo. 665. 713. R. 537. Tri. 1069.

2) Omn. codd. c. A „u“:
Ba. 502. Cas. 738 (E „i“). Mil. 49. Mo. 686. Poen. 480. 666. 1330. St. 79. 83. 459. 537. Tri. 61. 486 (bis). 487.

3) A „i“, cet. codd. vel omnes vel nonnulli „u“:
Mo. 719. Pers. 543 (BC). Tru. 121.

---

1) „Cibique minimi maxumaque industria, Minime mendace“ q. s.

4) A „u“, cet. codd. „i“:
Men. 1147. Pers. 738. Poen. 673 (CD). Ps. 185. 389. St. 184. Tri. 392. 1070.

b) A deest.

1) Omnes codd. „i“:
Amp. 648^{b}. 677. 802. 843. As. 448. 681. Aul. 237. 582. Ba. 783. 1170. Cas. 375. Ep. 291. Men. 598. 1110. Merc. 224. 964. Mil. 1210. Mo. 419. 449. 1127. Pers. 567. Poen. 238. 569. Ps. 805. R. 377. 402. 476. 757. 805. 1029. 1054. 1057. 1209. St. 668. 726. Tri. 1188. Tru. 170. 172.

2) Omn. codd. „u“:
Amp. 278. 335. 957. 965. 1000. As. 128. 787. Aul. 135. 136. 139. 144. 262. 567. Ba. 981. 1112. Cp. pr. 10. pr. 68. 333 (bis). 391. 423. 557. 706. 836 (bis). 900. 946. Cas. 308. 581. 695. 933. 948 (E[1] „i“). Ep. 59. 202. Men. 572. Merc. pr. 56. 329. 910. 977. 1009. Mil. 99. 101. 245. 667. Mo. 84. 155. 337. 410. 673. 1152. Ps. 361. 936. 1293. R. 705. 708. St. 106. 145. Tri. 1135. Tru. 626.

3) B „i“, cet. codd. omnes vel nonnulli „u“:
As. 908. Aul. 485 (DV). Ba. 667. Cp. 354 (DV). Men. 567. 947 (CDa). Mo. 21.

4) B „u“, cet. vel omnes vel plerique „i“:
Amp. 278. As. 449 (D). Cas. pr. 1. Cu. 240 (E). R. 849.

IX pessimus et pessumus.

a) Codex A extat.

1) Omn. codd. „i“:
Pers. 558. R. 791. Tru. 120.

2) Omn. codd. „u“:
Cas. 645. 793 (bis). Ps. 1285. St. 183.
3) A „i“, cet. libri aut omnes aut nonnulli „u“:
Cas. 650 (E). St. 138. 244. Tri. 534. Tru. 295 (bis). 311.
4) A „u“, cet. codd. „i“:
Cas. 186. Men. 590 (CD). Ps. 1310.

b) Codex Ambrosianus non extat.
1) Ceteri omnes praebent „i“:
As 214. 477. Aul. 64. 721. Cp. 235. Men. 1061. Mo. 192. 410. 738. 874. 897. Pers. 780. Poen. 569. R. 617. 1321. Tru. 80.
2) Ceteri omn. „u“:
Amp. 314. 606. Ba. 1122. Cp. 649. 709. 738. Cas. 189 (E[1] „i“). Cu. 153. 684. Merc. pr. 56. 847. Mil. 1374. Mo. 212. Pers. 221. 222. Tri. 592.
3) B „i“, cet. vel omnes vel plerique „u“:
Men. 488 (D). 759. R. pr. 40. Tru. 87b (D) [1]).
4) B „u“, cet. libri vel omnes vel nonnulli „i“:
Cp. 691 (V). Merc. 115. Mo. 1171 (D). Ps. 270 (D).

X plurimus et plurumus.

a) Codex Rescriptus.
1) A „i“ cum cet. omn. libris:
Cp. 924. Merc. 480. Mo. 1052. Poen. 988. St. 342.
2) A „u“, ceteri „u“ aut „i“:
Men. 260. 283. 590 (CD). St. 211. Tri. 435.
3) A „u“ in Vidul. fragm.:
50 G. (= 156 W.).

1) BD pessume, C pessũm (sic!); ceterum versus suspectus.

b) In cod. A quid scriptum sit, incertum est.

1) Reliqui codd. „i“:

Amp. pr. 137. 525. 757. Aul. 66. 801. Ba. 207. Cu. 430. 509. Men. 358. Mo. 717. 880. R. 126. 238. 370. 873. 909. 1235. Tri. 1088. Tru. 590. 760.

2) B „u“ cum ceteris:

Ba. 505. Cp. 371.

3) B „i“, cet. „u“:

Ba. 1020. Men. 759. Mil. 331.

4) B „u“, cet. aut ex parte aut cuncti „i“:

Ba. 907 (C). Cas. 712 (E). Cu. 573. Ep. 391.

XI proximus vel proxumus.

a) 1) Omn. codd. c. A „i“:

Mil. 264. Mo. 1062.

2) Omn. codd. nec non A „u“:

Merc. 475. Mil. 348. 385. 1136. St. 431. 612.

3) A „i“, cet. aut „u“ aut „i“:

Mil. 273. 366. 472 (B). Tri. 1058.

4) A „u“, cet. vel omnes vel nonnulli „i“:

Cas. 145 (BE[2]). 165 (B). 539. grex 1013 (B). Cist. 100 (B[2] „$\overset{u}{i}$“). Mo. 977 (D). Ps. 960. R. 561 (BD). Tri. 487.

b) A deest.

1) Omnes „i“:

As. 776. Aul. pr. 31. 128. 171. 236. 290. 400. 403. Ba. 205. Cist. 752. Cu. 53. Mil. pr. 134. Mo. 663. Poen. 1120. Ps. 59. 895. 1258. R. pr. 34. 84. 596. 1307.

2) Omnes „u“:

Ep. 68. Men. 404. Merc. 227. Mil. 287. 301. 410. 969.

3) B „i“, cet. aut „u“ aut „i“:
As. 53 (E). Men. 790 (D). Mil. 319 (C). Mo. 669 (C; D „$\overset{u}{i}$“). R. 331. 404. (C).

4) B „u“, cet. aut „i“ aut „u“:
Amp. 548 (D). Cp. 238. 271 (D). Cas. 687. Cu. 15 (E).

XII ultimus vel ultumus.

a) A nusquam huius superlativi testis est.

b) 1) Omn. codd. (praeter A) „i“:
Cp. pr. 11. Cu. 278. R. 1034.

2) Omn. codd. (sine A) „u“:
Mo. 995.

3) BD „u“, C „i“:
Mil. 609 [1]).

Jam vero quo melius oculis ac animis formarum copiam perlustrare possimus certumque de singulis libris Plautinis iudicium faciamus, et Ambrosiani et Veteris Camerarii rationes orthographicas in superlativis scribendis duabis tabellis seorsum illustrabo atque ita quidem superlativos disponam,

---

1) Praeterea numeralia ita scripta extant:
decimus a) „i“ in omn. libr. c. A: Pers. 558.
„u“ in omn. libr. c. A: Ba. 928. St. 233.
A „i“, cet. „u“: Ps. 973; A „u“, cet. „i“: St. 386.
b) A deest, omn. cet. „i“: Ba. 666. Tru. 402. 497.
A deest, cet. omn. „u“: Amp. 481. 670. Aul. 798. Cist. pr. 163. St. 708.
septimus a) omn. codd. c. A „i“: Men. 1156. 1157. Pers. 557.
A „u“, cet. „i“: Pers. 260. Ps. 597.
b) BE „i“, D „u“: Amp. 482.
vicensimus omn. codd. „i“ (praeter A deperditum): Cp. 980.
cente(n)simus „ „ „ : Cp. 421. Mil. 763.
Adicio adiectivum „medioxumus“ bis ita in libris scriptum: Cist. 512. 611.

ut faciam singulorum centenas occurrere formas: priore numero comprehendam formas „i“ littera, altero antiquiore ratione scriptas:

cod. A

1.	optimus	8 : 23	=	26 : 74
2.	proximus	6 : 15	=	29 : 71
3.	plurimus	5 : 6	=	45 : 55
4.	-errimus	6 : 5	=	55 : 45
5.	pessimus	10 : 8	=	56 : 44
6.	maximus	29 : 23	=	56 : 44
7.	-issimus	33 : 18	=	65 : 35
8.	-illimus	1 : 0	=	100 : 0
9.	infimus	3 : 0	=	100 : 0
10.	minimus	20 : 0	=	100 : 0

Itaque summa iudicii haec erit: in A extant 219 superlativi, ex quibus 121 scripti sunt -imus, 98 -umus, vel ut ad centesimas redigam:

55 (-i-) : 45 (-u-) (= 100 i : 82 u).

cod. B

1.	optimus	60 : 82	=	42 : 58
2.	pessimus	26 : 32	=	45 : 55
3.	-errimus	17 : 16	=	52 : 48
4.	proximus	33 : 25	=	57 : 43
4a.	ultimus	3 : 2	=	60 : 40
5.	-illimus	5 : 3	=	63 : 37
6.	maximus	109 : 45	=	71 : 29
6a.	intimus	3 : 1	=	75 : 25
7.	-issimus	134 : 36	=	79 : 21
8.	plurimus	33 : 6	=	85 : 15
9.	minimus	45 : 1	=	98 : 2
10.	infimus	7 : 0	=	100 : 0

Multo plures formas B servavit, nam sunt 724, ex quibus duae fere partes littera tenuiore expressae sunt (475), vix una pars pinguiore (249), vel si centesimas ducamus:

66 (-i-) : 34 (-u-) (= 100 i : 52 u) [1]).

Multa sane nos hae tabulae docent: primum videmus, qui codicem Ambrosianum saeculo V confecit, multo saepius orthographia antiquiore usum esse, quam qui codicis B auctor est; in illo paullo rariores formae sunt in -umus exeuntes, quam in -imus (55 : 45), in hoc duplo fere rariores (66 : 34); atque in singulis quidem superlativis -umus in A saepius extat quam in B (praeter „pessimus", -errimus, [-illimus]). Tum vero apertum est permultis in rebus hos libros congruere: et hic et illic „optimus" agmen ducit, „minimus" et „infimus" claudunt, in A sicut in B „maximus" sexto loco ponendum erat, -issimus septimo, quoniam neque „ultimus" neque „intimus" in cod. rescripto occurrit. Si quis dixerit quorundam adiectivorum pauciores extare formas, quam ex quibus aliquid possis concludere, suo illum iure hoc dixisse cum concedam, omissis omnibus adiectivis, quorum superlativi in A minus vicies extant, i. e. „plurimus", -errimus, „pessimus", -illimus, „infimus", ceteros sic componam:

1. optimus	cod. A	26	(-i-)	:	74	(-u-);	cod. B	42	:	58.
2. proximus	„	29	„	:	71	„ ;	„	57	:	43.
3. maximus	„	56	„	:	44	„ ;	„	71	:	29.

1) In codice C (s. XI) 70 : 30.
„ „ D (s. XII) 65 : 35.
„ „ E (s. XIII) 69 : 31.
V (s. XII in.) 77 : 23.

4. -issimus	cod. A	65 (-i-)	:	35 (-u-);	cod. B	79 :	21.
5. minimus	„	100 „	:	0 „ ;	„	92 :	8.

Videsis ordinem eundem in A et in B[1]). Mirum librorum consensum! Qui cum casu quodam natus esse non possit, evincitur in archetypo codd. A et B eandem fere fuisse rationem superlativos scribendi. Fac in librorum archetypo ubique -umus extitisse, incredibile est, quo casu factum sit, ut et qui librum Ambrosianum componebat et qui „Veterem“, suo uterque arbitrio in superlativo „optumus“ „u“ servaret, in „minumus“ fere semper in „i“ mutaret. Itaque manifestum est primum in archetypo, quem alteri fere saeculo tribui licet, permulta aliter fuisse scripta atque in A vel B, tum vero superlativos saepius „u“ littera scriptos quam in nostris libris, denique non semper eos „u“ littera scriptos fuisse, e. g. veri est simile in archetypo inter 100 superlativi „optimus“ formas non 74 (ut in A), sed plures in -umus exisse, at vero „minimus“ ne saeculo quidem altero „minumus“ fuisse in Plauti fabulis. Itaque cum nobis contigerit, ut ad quandam verisimilitudinem libri archetypi rationem orthographicam adumbremus, hic liber utrum genuinam Plauti orthographiam servaverit necne, quaerendum est. Qua de re infra locuturus nunc ad Terentium propero.

1) In codicibus C et D superlativos eodem ordine componi licuit (1. optimus, 2. proximus, 3. maximus, 4. -issimus, 5. minimus), cum E et V, qui et in aliis rebus et in orthographicis alterius familiae sunt, hoc ordine superlativos praebeant

E: 1. optimus, 2. -issimus, 3. proximus, 4. maximus, 5. minimus.
V: 1. optimus, 2. maximus, 3. -issimus, 4. proximus, 5. minimus.

Sed semper (in sex codd. ABCDEV) „u“ litteram saepissime habet adiectivi „bonus“ superlativus, „i“ saepissime „minimus“.

2) Superlativi apud Terentium [1]).

I -issimus vel -issumus.

a) Bembinus extat.

1) Omnes codd. „i“:

Ad. 218. 281. 296. 419. 468. 552. 590. 911. Andr. 962. Eun. 239 („$\overset{u}{i}$“ D; „i“ ex „u“ G). 531. 927. 948. 954. Heaut. 368. 842. 868. Hec. 86. 309. Pho. 83. 290. 343. 372. 504. 509. 561 (P „u“). 686 (P „u“). 710. 771. 772 (bis). 853. 871.

2) Omnes fere codd. „u“:

Ad. 91 (A „$\overset{i}{\underset{\cdot}{u}}$“). Heaut. 639 (P „i“).

b) Bembinus deficit, ceteri praebent „u“:

Ad. 983. Andr. 454. 620. 634.

II -errimus vel -errumus.

a) Omnes codd. cum Bembino „i“:

Eun. 253. 846. Pho. 262. 346. 869.

b) A deest, cet. „u“:

Andr. 835.

III -illimus vel -illumus.

a) 1) Omnes codd. „i“:

Ad. 501. Eun. 926.

2) Omnes codd. „u“:

Heaut. 998.

b) BCDP „u“ (ex silentio), GE „i“ (A non extat); Andr. 65.

IV infimus.

Omnes codd. „i“:

Eun. 489.

---

1) Umpfenbachium, cuius apparatu critico usus sum, ex libris saeculi decimi non omnia enotasse ipse in praef. p. XXXVI confessus est.

V intumus.

a) Omn. codd. „u“:
Eun. 127.

b) A deest, cet. omnes „u“:
Andr. 576.

VI maximus aut maxumus.

a) Codex A.

1) A cum omn. cet. „i“:
Ad. 18. 216. 231 (G „u“). 340. 352. 377. 503. 773. 875. Eun. 397. 532. 866. 1070 (P „u“). 1091. Heaut. 8. 158. 339. 393. 408. 428. Hec. 112 (D „u“). 115. 160. 228. 331. 348. 396. 595. 708. Pho. 28. 385. 760. 761.

2) A cum cet. omn. „u“:
Ad. 501. 534. 609. 740. 881. 891. Andr. 818 [1]). Eun. 173 [1]). 189. 334 [1]). 665 [1]). 734 [1]). 959. 1044. Heaut. 40 [1]). 284. 626. Hec. 307 (bis). 457. 474 (DE „i“). Pho. 204. 241 (bis). 295.

3) A „i“, cet. aut „u“ aut „i“:
Ad. 518 (DEFG „u“). Hec. 51 (A solus „i“).

4) A „u“, cet. aut „i“ aut „u“:
Ad. 116 (BCEFP „i“). Heaut. 49 (E „i“). 50. (CFP „i“). 448 (BCEFP „i“). 788 (A solus „u“). 997 (A solus h. v. servavit). Hec. 50 (A solus „u“).

b) Quid in Bembino scriptum sit, nescimus his in versibus:

1) Omn. libri „i“:
Andr. 823.

---

1) A „$\overset{i}{u}$“; cum hoc corrigendi studium non occurrat nisi in fabula prima, altera, in prologo tertiae, librarium coepisse veteris scribendi generis vestigia expellere manifestum est.

2) Omn. libri „u“:
Ad. 926. 941. Andr. 293. 526. 574. 835.

VII minimus.

a) Omn. codd. c. A „i“:
Ad. 193. 197. 342. 597. 625. 881. Eun. 2. 75. 212. 333 (bis). 625. Heaut. 89. 245. 383. 477. 525. 629. 742. 785. Hec. 69. 85. 220. 267. 409. 613. 759. 814. Pho. 526. 1033.

b) A deest, P „u“, BCDEF „i“:
Heaut. 245 [1]).

VIII optumus vel optimus.

a) 1) Codd. c. A „i“:
Ad. 884 (DG „u“). Eun. 101. Heaut. 1046 (D² „u“). Hec. 246 (G „u“). 871 (DF „u“). Pho. 153. 367.

2) Codd. c. A „u“:
Ad. 161. 402. Andr. 949. Eun. 103. 905 (A „u“ [i superscr.], F „i“). Heaut. 677 (F „i“). 677. 722. 757. Hec. 598. Pho. 226.

b) A desideratur; cet. codd. vel omnes vel plerique „u“:
Ad. 974. 983. Andr. 335. 466. 488. 593. 686. (E „i“). 817 (DG „i“).

IX pessimus et pessumus.

a) 1) Codd. c. A „i“:
Heaut. 599 (G² „u“).

2) Codd. c. A „u“:
Eun. 152 (A „u“ [i superscr.]). 1017. Heaut. 437.

---

1) Cf. ed. Umpfenb. ad h. l.

b) A deest, cet. „u“:
Andr. 629.

X plurimus et plurumus.

1) Omn. codd. c. A „i“:
Ad. 813. 868. Eun. 2. 270. 458. 1092. Pho. 194.
2) Omn. codd. c. A „u“:
Ad. 460. Hec. 570.

XI proximus et proxumus.

a) 1) Omn. libri c. A „i“:
Ad. 651. Heaut. 54. 732 (D „u“). Hec. 124. 341. Pho. 125 (F „u“). 416. 418. 891.
2) Omn. codd. c. A „u“:
Eun. 332 (A „$\overset{i}{u}$“). 612.
3) AG „u“, cet. „i“:
Heaut. 966.
b) Codd. praeter A „u“:
Ad. 947. Andr. 636.

XII ultimus.

Omnes codices c. A „i“: Heaut. 902. Pho. 215 [1]).

cod. A	1. intimus	0 (i)	:	1 (u)	=	0	:	100.
	2. pessimus	1	:	3	=	25	:	75.
	3. optimus	7	:	11	=	39	:	61.
	4. maximus	35	:	32	=	52	:	48.
	5. -illimus	2	:	1	=	67	:	33.
	6. plurimus	7	:	2	=	78	:	22.

1) Numeralia semper littera tenui scripta.

7. proximus	9	: 2	=	82	:	18.
8. -issimus	33	: 2	=	94	:	6.
9. infimus	1	: 0	=	100	:	0.
10. ultimus	2	: 0	=	100	:	0.
11. -errimus	5	: 0	=	100	:	0.
12. minimus	30	: 0	=	100	:	0.
	132	: 54	=	71 (i)	:	29 (u).

codd. plerique (praeter A)

1. intimus	0 (i)	: 2 (u)	=	0	:	100.
2. pessimus	1	: 4	=	20	:	80.
3. optimus	7	: 19	=	27	:	73.
4. maximus	38	: 42	=	47	:	53.
5. -illimus	2	: 2	=	50	:	50.
6. proximus	10	: 4	=	71	:	29.
7. plurimus	7	: 2	=	78	:	22.
8. -errimus	5	: 1	=	83	:	17.
9. -issimus	33	: 6	=	85	:	15.
10. infimus	1	: 0	=	100	:	0.
11. ultumus	2	: 0	=	100	:	0.
12. minimus	31	: 0	=	100	:	0.
	137	: 82	=	63 (i)	:	37 (u).

En habes in Terentii quoque libris orthographiae concentum: et in Bembino et in ceteris ordo superlativorum, qui secundum orthographicam rationem dispositi sunt, fere idem evasit. Ut ex Plautinorum librorum consensu conclusimus iam in archetypo eosdem superlativos saepissime „u“ littera scriptos fuisse atque in codd. derivatis, eosdem rarissime, ita nunc quoque contendere licet in libro archetypo Terentii fabularum eandem rationem „u“ aut „i“ scribendi

uisse, e. g. plerumque in eo extitisse „optumus“, fere ubique „minimus“. Ceterum inter Terentii Bembinum et Ambrosianum Plauti nimium quantum interest, nam in hoc saepius „u“ occurrit, quam in ceteris Plauti codicibus, cum in Bembino, qui eodem fere saeculo quo Plauti Ambrosianus scriptus est, orthographia pessum data sit a librario, quem operam dedisse, ut formas recentiores inferret, docet „i“ littera decies superscripta litterae pinguiori, atque animum eius manumque sensim defatigata esse inde percipimus, quod in Eunucho, quae prima est integra fabula in Bembino servata, septies „u“ in „i“ mutata est [1]).

Jam excludamus superlativorum ordines, qui minus quina dena exempla continent:

1.	optimus	cod. A	39	(i)	:	61	(u);	Call.	rec.	27	:	73.
2.	maximus	„	52	„	:	48	„ ;	„	„	47	:	53.
3.	-issimus	„	94	„	:	6	„ ;	„	„	85	:	15.
4.	minimus	„	100	„	:	0	„ ;	„	„	100	:	0.

Duas familias non solum inter se congruere apparet, sed etiam ordine superlativorum cum libris Plautinis consentire [2]). Atque in tabulis quoque plenioribus consensus cum Plauto perspicitur [3]). Cum codex Ambrosianus cum Calliopii recensione comparandus sit, non cum Bembino (quippe qui novandi studium proferat), in rescripto summa rationis est 56 (i) : 44 (u), in Calliopianis 63 (i) : 37 (u), id quod aetati Plauti et Terentii fere convenire videtur.

1) Cf. adn. 1 in p. 46.

2) Cf. p. 43 sq.: Plautus 1. optimus, 2. proximus, 3. maximus, 4. -issimus, 5. minimus; Terentius 1. optimus, 2. maximus, 3. -issimus, 4. minimus (apud Terentium „proximus“ esset tertio loco).

3) Cf. p. 42.

3) Superlativi in Catonis libro de agri cultura [1]).

In Catonis codd. semper „i“ scriptum inveni [2]) exceptis his tribus locis:

1) c. 41,1 optuma PA.
2) c. 148,1 (in triduo) proxumo Pc, proxumo (i supra u) b.
3) c. 93 maxumam Pc, maximumam A corr.

Haec sunt, quae Porcii genus scribendi testantur vestigia pusilla [3]), ex quibus ut nemo iudicium faciet Catonem octavi saeculi more „i“ littera fere sola usum esse, ita si quis nihil tribus illis formis tribuendum censebit, mihi quidem non probabit, quoniam cum tabella, quam de Plauti usu in p. 43 sq. composui, plane congruunt. Cuius poetae quamquam post mortem Cato praecepta de agri cultura scripsit, tamen antiquiorem indolem prae se hunc tulisse ex frequentissimo verbi „siet“ usu [4]) conicio, quam formam Sarsinatem nullo fere versus loco posuisse notum est nisi in iambicorum vel trochaicorum fine cretico.

---

1) Secundum editionem criticam H. Keil, Lipsiae 1882; P — lectiones codicis Marciani ab Angelo Politiano in principe editione adnotatae, A — cod. Paris. 6842 A, c — cod. Caesenas, b — cod. Laurent. 51, 2.

2) 41-el -issimus, 6-ies -errimus, 1-el -illimus, 6-ies infimus, 20-ies maximus, 15-ies minimus, 18-ies optimus, 9-ies plurimus, 1-el proximus.

3) Quod in cod. A scriptum est: diutisime c. 35,1, similimum c. 46,1, pulcherimum et acerimum c. 104,2, casu potius factum esse puto.

4) Coniunctivus verbi substantivi in Catonis codd. fere octogies est bisyllabus (siem, sies, siet, sient), minus quam vicies monosyllabus.

4) Superlativi in incerti auctoris Rhetor. ad Herennium.

Quatuor de ratione dicendi libros ad Herennium datos intra a. 86 et 82 scriptos esse Marxius in editionis suae [1]) p. 153 sqq. evicit; quos utrum Cornificius conscriperit necne cum nesciamus [2]), hoc Marxio auctore dicere licet fuisse eum hominem, qui plebeio sermone adamato uteretur et togatam Plautumque item alios veteres poetas imitaretur interque pedestris sermonis scriptores „propiorem esse et similiorem Nepoti Sallustio Varroni quam Ciceroni" [3]). — Locos ipse ex Marxii editione omnibus numeris perfecta collegi, codicum notis ab illo adhibitis equidem usus [4]). Rationem orthographicam plane probo Marxii, qui quam quoque loco lectionem via ac ratione assequi potuit antiquissimam eam recepit [5]).

Nunc eodem atque supra ordine formas enarrabo:

I -issimus vel -issumus [6]).

1) Omnes codd. „i":

I p. 193, 4. 7; 206, 5; II 209, 7; 216, 7; 219, 5; 220, 19. 20; 222, 18. 20; 231, 17 (bis); 232, 5; 233, 3. 4. 19; 234, 4. 5; 239, 4; 241, 16; 250, 5; 251, 2. 7; 253, 15; 254, 2. 3; III 256, 2. 4; 264, 11; 266, 20; 267, 4; 268, 7; 269, 1; 272, 9; 275, 4.

---

1) Lips. 1894.

2) Cf. Marxii praef. p. 73.

3) Marx. p. 167.

4) M est consensus codd. mutilorum H(erbipolit.) s. IX vel X, P(arisin. 7714) s. IX, B(ernens.) s. IX vel X, C(orbeiens. vel Petropol.) s. IX vel X, π (Parisin.) s. X, quorum optimi et antiquissimi sunt H et P; E littera codd. expletos consentire significatur, quos hic non affero, quod nunquam formam vetustiorem servaverunt.

5) p. 162.

6) Locos secundum Marxianae editionis paginas versusque laudavi.

8; 281, 4; 284, 7; IV 289, 12. 16; 292, 8; 294, 1. 5; 298, 18. 19. 22; 299, 11. 15. 23; 300, 1. 4. 6; 304, 3; 305, 21; 310, 19; 311, 1 (bis). 12. 17; 313, 2. 21; 315, 17; 317, 9 (bis); 318, 2; 320, 6; 323, 2; 324, 2; 325, 16; 326, 8; 329, 14; 334, 1. 4; 335, 13; 340, 2; 344, 4. 5. 7; 346, 4. 8; 349, 5. 8; 350, 18; 351, 2; 353, 4 (bis). 5. 11. 12; 355, 4. 17. 20; 356, 8 (bis); 358, 6. 15; 359, 12. 16; 362, 8. 12 (bis); 364, 22; 369, 9. 11; 370, 4; 371, 5. 7 (bis); 375, 7. 8; 376, 11.

2) Quater codices formam -issumus servaverunt [1]:
accumulatissume H[1] I 208, 2.
commodissume M II 250, 20.
sedatissuma M praeter Π III 273, 24.
depressissuma M praeter Π III 273, 25.

II -errimus et -errumus.

1) Omnes codd. -errimus:
I 193, 6; II 232, 9; 233, 2. 3. 16; III 269, 9; IV 349, 20; 364, 23; 370, 4.

2) deterrumis HPBC IV 371, 11.

III -illimus.

Codd. semper „i“:
II 209, 3. 7. 10 [2]). 12; 211, 1; 219, 4; 231, 9; III 267, 9; 269, 13; 278, 20; IV 301, 8; 316, 22; 326, 3; 342, 11.

1) Semper in duas partes discissos, ut „depressis suma“ vel „depressiss summa“.

2) C[1] difficilumam, ubi errore pro „li“ „u“ scriptum esse videtur.

IV infimus et infumus.

1) infimus:
IV 300, 9; 375, 4.
2) infum- Marxius, (in)firm- HPBП, infim- cet. codd.
IV 298, 18; 301, 15.

V maximus.

Codd. semper „i“:
I 193, 6; 194, 7; II 209, 5; 222, 13; 228, 21; 230, 25; 232, 19; 233, 1; 243, 7; 251, 3; III 262, 15; 266, 9; 269, 15; 270, 10. 11. 12. 13. 15. 22; 271, 1. 2. 3; 275, 9; 284, 8; 286, 14. 19; 287, 4; IV 289, 15; 290, 15. 16 (bis). 18; 294, 11; 297, 3. 5; 299, 11; 300, 19; 304, 23; 315, 16; 322, 15; 329, 21; 344, 6, 15; 346, 13; 347, 8; 349, 9; 353, 10. 12; 358, 16; 359, 7. 14 (bis); 368, 9; 369, 10. 16; 376, 2.

VI minimus.

Libri semper „i“:
II 232, 18; 247, 20; 281, 22; 286, 12; IV 313, 14.

VII optimus et optumus.

1) Codd. „i“:
II 248, 8; III 283, 13; IV 289, 15; 299, 21; 314, 18; 329, 14; 342, 14; 349, 1; 362, 5.
2) Codd. „u“:
optumas PBCП IV 344, 14.
optumis PBП IV 355, 19.

VIII pessumus.

pessumas P²BC, pars summas HP¹, per summas П II 233, 12.

IX plurimus.

Codices ubique „i“:

II. 212, 15; 233, 12; III 262, 16; 269, 16. 17; 286, 14; IV 308, 1; 318, 11; 322, 15; 334, 6; 335, 3; 339, 17; 352, 21; 356, 17; 371, 6. 19; 372, 11; 373, 11; 375, 11.

X proximus.

Codd. „i“:

III 276, 2; IV 323, 9.

XI ultimus.

Codd. „i“ ubique:

I 196, 2; 197, 1; II 238, 8 [1]).

Ratio formarum haec est:

pessimus	0 (i)	:	100 (u)	
infimus	50	:	50	(?)
optimus	82	:	18	
-errimus	90	:	10	
-issimus	97	:	3	
ceteri omnes	100	:	0	

Quoniam duae formae „infumus“ ita scriptae nullo in codice extant, earum rationem habendam non esse puto, item adiectivi „malus“ gradus superlativus qnippe qui semel in libris ad Herennium occurrat. Tum restat hoc memorabile, quod „minimus“ nusquam littera „u“ scriptum est sicut

1) Numeralia: septimus II 252, 7; decimus II 252, 18; in decumo Marxius, inde cum eo HPBCΠ III 279, 18; decuma HPBC IV 367, 22; decuma Marxius cum d (Darmstad.) IV 368, 1.

apud alios omnes scriptores, cum „optimus“ etiam apud hunc bis „optumus“ scriptum sit. Hoc sane miror, quod maxumne semel quidem in codd. servatum est. — Verum quamquam congruere auctorem ad Herennium cum ceteris concludi non licet, at certe iis non contradicere concedas, quae tabulae supra positae nos docent.

5) Superlativi apud Lucretium.

Lachm. Lucr. p. 125 (ad II v. 867): „in membranis hoc uno loco legitur manufesta, maxuma in V 481“ [1]).

6) Superlativi apud Catullum.

Cum in Catulli libro plus quinquagies superlativi occurrant, semper codd. vocalem tenuem tradidere, nisi quodinc. 75, 3 (intra a. 59 et 54 composito) in Oxoniensi „optuma“ scriptum est.

7) Superlativi in Ciceronis epistularum libris XVI [2]).

Praeter sescentas superlativorum formas „i“ littera in syllaba antepaenultima scriptas „u“ quidem vicies in codd. servatum est atque semel in omnibus codicibus a Mendelssohnio adhibitis [3]), quinquies in librorum octo posteriorum codd. D (Palatino s. XV/XVI) et H (Harleiano s. XI) [4]),

---

1) Cum ex ipso Lucretio superlativos congerere non potuerim, Eichstaedtii indice usus non inveni superlativos in -umus nisi „maxuma“ illud a Lachmanno notatum.

2) Ut Ciceronis usum orthographicum illustrarem, epistulas „ad familiares“ inde ab a. 58 datas elegi, quippe quae a 1893 a Lud. Mendelssohn apparatu critico plenissimo instructae sint.

3) p. 183, 10 Mend.

4) Cum semper in hac re H cum D faciat, ab iis accurate expressam esse archetypi imaginem evincitur, quem Mediceo vel aequalem vel natu minorem fuisse Mendelssohnius (p. XXV) existimat.

quater decies in uno Mediceo, codice s. IX/X in his epistulis recensendis nobilissimo.

Sunt autem hae fere formae:

I -issumus.

1) Omnes libri:
p. 183, 10 Mend.
2) Cod. M:
p. 52, 4 Mend. (M cum G); 62, 15; 67, 3 (M^2 „i“); 92, 14 [1]); 105, 27 [2]); 106, 30 [2]); 106, 31 [2]); 108, 10 [3]); 111, 12; 329, 18.
3) Codd. DH:
p. 417, 17 (MF „i“).

II -errumus.

Cod. M „u“, cet. „i“:
p. 110, 16; 292, 28; 388, 20.

III intumus.

HD „u“, M „i“:
p. 358, 13.

IV optumus.

1) MR „u“:
p. 114, 11.
2) HD „u“, M „i“:
p. 317, 11 [4]); 322, 30 [5]).

1) In Sulpicii epistula.
2) Ter in una epistula.
3) „Vatinius Ciceroni“.
4) Trebonii epistula.
5) Lentuli epistula.

V proxumus.

HD „u", M „i":
p. 315, 15[1]).

Itaque habemus:

-issumus	12-ies.
-errumus	3-r.
optumus	3-r.
intumus	1-el.
proxumus	1-el.

Apertum est prorsus alias esse superlativorum rationes in Ciceronis epistulis atque apud scriptores priscos, et si quidem per exemplorum inopiam coniecturam nobis facere licet, concludendum in terminatione -issumus Ciceronem saepissime vocalem pinguiorem amplexum esse, non in superlativo „optumus". Atque eundem quoque Caesaris usum esse statim videbimus[2]).

8) Superlativi in Caesaris comment. de bello Gall. I—VII.

Cum Commentariorum de bello Gallico librum VIII seorsus tractandum esse per se pateat, ex ceteris libris superlativorum exempla ex Holderi indice sumpsi, quem editioni Friburgensi[3]) adiecit. Eodem ordine, quo ante usus sum, omnes locos afferam, quibus aut unus aut nonnulli aut omnes

---

1) Cassii epistula ad Ciceronem data. — Praeterea: decumum omn. codd. p. 177, 20, septumae HD p. 220, 13; vicensumo MH p. 329, 26.

2) Editor novissimus fere semper codicis M orthographiam secutus est nisi quod p. 315, 15; 317, 11; 322, 30; 417, 17 codd. HD ducibus „u" imprimi iussit; tum p. 358, 13 quoque „u" Ciceroni cum HD restituendum erat.

3) C. Juli Caesaris belli Gallici libri VII Frib. 1882.

codices terminationem -umus servaverunt, praemisso numero formarum in -imus exeuntium.

I -issumus.

1) „i": 139-ies.
2) „u": I 45, 3; IV 31, 2; V 15, 4; 20, 1; 30, 2; 35, 1. 7; 44, 1; 54, 5; 57, 1; VII 62, 2.

II -errumus.

1) „i": 4-er.
2) „u": I 13, 2.

III -ilſumus.

1) „i": bis.
2) „u": V 24, 6.

IV maxumus.

1) „i": 64-er.
2) „u": V 10, 2; 37, 4; 43, 4; VII 68, 3.

V proxumus.

1) „i": 39-ies.
2) „u": I 54, 1; II 19, 3; V 24, 4; 28, 5; VI 3, 1; 8, 6; 31, 3; 32, 5; 35, 5; VII 3, 2; 25, 3; 67, 7; 68, 2 [1]).

VI Ceteri.

Semper: infimus (6), minimus (10), optimus (7), plurimus (19), ultimus (5) [2]).

---

1) Praeterea: septumus VI 33, 4; decumus II 21, 1; duodecumus II 25, 1.

2) „Pessimus" non occurrit in „Bello Gallico", sicut „mălus" nusquam extat, „măle" semel.

Habemus igitur tricies -umus:

proxumus 13-ies.
-issumus 11-ies.
maxumus 4-er.
-errumus 1-el.
-illumus 1-el.

Vides Caesaris orthographiam cum Ciceronis usu hac in re congruere, utrumque sescenties -imus scripsisse, rarissime -umus atque hoc quidem non in „optumus", sed in -issumus adamasse. Hoc quoque memorabile videtur dimidium fere formarum „u" littera scriptarum in libro quinto extare, in tertio libro occurrere nullam.

9) Superlativi in Hirtii l. VIII de bello Gallico.

Secundum Holderi indicem:

-errumus 5,2.
proxumus 18,3; 34,2 [1]).

Si coniecturam facere licet, congruere Hirtii orthographiam cum Cicerone et Caesare videmus.

10) Auctor de bello Africo.

Nusquam in codd. formae in -umus exeuntes leguntur [2]).

11) Superlativi apud Sallustium.

a) In „Catilina" et „Jugurtha".

Dietschius et Jordanus putant Sallustium semper -umus scripsisse, itaque in editionibus suis orthographiam

1) Decumus 54, 3.

2) Maritumus scriptum est in cod. Vindob. (s XIII) c. 28, 1 et in cod. Ashburnh. (ca. s. X) c. 77, 1 (Cf. Woelfflini et Miodońskii ed. [Lips. 1889] p. IX).

pinguiorem expresserunt, P. Schultze [1]) Crispum terminationem antiquiorem praetulisse posteriori censet, cum Bertoldo Maurenbrecher [2]) veri similius videatur Sallustium, qui Caesarem secutus sit [3]), „i" scripsisse atque perpaucas formas „u" littera scriptas a Frontonianis illatas esse. Codicum lectionibus, quas omnes ex Dietschianae editionis apparatu sumpsi, collectis nemini eorum assentiri possum. — Cum Sallustius in permultis libris manuscriptis extet, quorum nexus a viris doctis nondum explanatus sit, singulos codices non notabo, distinguam eos locos, in quibus omnes libri -imus praebent et eos, in quibus aut unus aut nonnulli codices -umus exhibent.

I -issimus et -issumus.

1) Omnes codd. „i":

Catil. 4, 3; 5, 8; 8, 5; 10, 6; 12, 3; 12, 5 (bis); 18, 1; 20, 9; 33, 3; 40, 4; 43, 1; 52, 24 (bis); 52, 31; 55, 6; 60, 7; 61, 7.

Jug. 4, 5; 7, 4; 10, 2; 14, 2. 9. 15. 22; 17, 2. 7; 19, 7; 25, 5; 28, 5; 30, 4; 31, 12. 12. 16. 21; 32, 2; 54, 6; 56, 2; 63, 1; 65, 5; 67, 1. 3; 68, 4; 71, 3; 80, 5; 84, 1 (bis); 85, 15. 20. 38. 41. 42. 43; 86, 3. 3; 87, 2. 2; 88, 1. 4; 89, 4; 91, 4; 93, 8; 94, 2; 95, 2. 3. 4; 96, 1. 4; 98, 1 (ter); 100, 3. 5; 102, 2. 5; 103, 2; 109, 1; 111, 4.

2) Codd. vel unus vel nonnulli „u":

C. 51, 19; J. 10, 2; 16, 3; 31, 21. 21; 67, 2. 2; 68, 3; 81, 1; 85, 11; 91, 3.

---

1) De archaismis Sallustianis Halis 1871 p. 30.
2) Sallustii historiarum reliquiae fasc. II Lps. 1893 p. 214 sq.
3) Quint. I 7, 21.

II -errimus vel -errumus.

1) Codd. „i“:
C. 5, 9; 20, 3; 52, 20; J. 14, 4; 16, 2; 29, 2; 31, 25; 48, 1; 58, 4; 60, 1; 83, 1; 85, 10; 106, 4.

2) Codd. ex parte „u“:
J. 68, 3; 97, 5.

III -illimus vel -illumus.

1) Omn. codd. „i“:
C. 14, 1; J. 7, 5; 96, 2; 113, 5.

2) Alii „i“, alii „u“:
J. 10, 2.

IV infimus.

Omn. codd. „i“:
C. 44, 5.

V maximus et maxumus.

1) Omnes libri „i“:
C. 1, 3; 2, 2. 2; 5, 6; 7, 6. 7; 8, 3. 5; 9, 1; 14, 5; 17, 6; 20, 3; 40, 4; 48, 2; 51, 43; 53, 2; 58, 6.
J. 6, 1; 8, 1; 10, 6; 14, 3; 21, 3; 23, 2; 25, 9; 30, 2; 31, 1; 33, 1; 43, 5; 46, 4; 47, 1; 48, 1; 48, 2; 49, 3; 50, 5; 56, 3; 58, 3. 3; 66, 1; 95, 3; 101, 4; 104, 3; 107, 1. 2.

2) Codd. aut „i“ aut „u“:
C. 17, 2; 29, 3; 33, 6; 36, 4; 37, 5. 8; 38, 3; 41, 5; 43, 2. 4; 46, 2; 48, 5; 49, 2. 3; 51, 13; 52, 28 (bis); 52, 36; 54, 5; 58, 17 (bis); 60, 2. 3.
J. 4, 3; 5, 4; 7, 4; 9, 2; 13, 2. 7; 14, 1. 12. 20; 15, 3; 29, 3; 31, 9. 14. 19; 35, 4; 39, 1; 40, 2; 61, 4 (bis); 68, 1; 76, 3; 85, 3. 26. 28; 89, 6; 91, 1; 99, 1; 110, 1.

VI minimus.

Codd. semper „i“:
C. 6, 7; 9, 1; 51, 13. 13. 43; J. 3, 1; 6, 1; 11, 3; 14, 15. 22; 100, 3; 102, 7.

VII optimus et optumus.

1) Libri „i“:
C. 2, 6; 10, 6; J. 85, 16; 107, 5.
2) Libri alii „u“, alii „i“:
C. 8, 5; 32, 1; 34, 2; 43, 1; 55, 1; 57, 5; 59, 3.
J. 22, 2; 31, 16; 54, 9; 62, 1; 85, 9. 33; 92, 8; 95, 2; 102, 5.

VIII pessimus, pessumus.

1) Codd. „i“:
C. 5, 8. 9; 18, 8; 51, 29; J. 64, 5; 85, 43; 102, 5.
2) Alii codd. „u“, alii „i“:
J. 31, 14.

IX plurimus aut plurumus.

1) Codd. „i“:
C. 2, 2; 17, 2; 31, 7; 41, 4; J. 6, 1; 9, 2; 17, 6; 25, 10; 32, 2; 68, 2; 75, 4. 5; 80, 6; 85, 30; 99, 1; 101, 6; 111, 1.
2) Codd. aut „u“ aut „i“:
J. 14, 17.

X proximus et proxumus.

1) Libri „i“:
C. 14, 3; 26, 1; J. 11, 6; 18, 4; 19, 4; 23, 2; 28, 2; 57, 5; 59, 1. 2; 97, 2; 106, 1.

2) Libri partim „u", partim „i":

C. 43, 1; J. 12, 3; 18, 11; 35, 2. 4; 38, 7; 49, 6; 54, 10; 61, 2; 75, 2. 6; 78, 2; 80, 3; 91, 3; 93, 8; 94, 5; 113, 3 [1]).

Jam vero ut orthographia Sallustiana intellegi possit, in uno conspectu sic formarum rationem disposui, ut prior numerus formas „i" littera scriptas exprimat, alter scriptas „u" littera:

1.	optimus	4 (i)	:	16 (u)	=	20	:	80.
2.	proximus	12	:	17	=	41	:	59.
3.	maximus	43	:	51	=	46	:	54.
4.	-illimus	4	:	1	=	80	:	20.
5.	-errimus	13	:	2	=	87	:	13.
6.	pessimus	7	:	1	=	87,5	:	12,5.
7.	-issimus	78	:	11	=	88	:	12.
8.	plurimus	17	:	1	=	94	:	6.
9.	infimus	1	:	0	=	100	:	0.
10.	minimus	12	:	0	=	100	:	0.

Quo melius cum usu Plautino Terentianoque Sallusti orthographia comparari possit, omittamus omnes formarum ordines praeter hos quinque:

1.	optimus	20	:	80.
2.	proximus	41	:	59.
3.	maximus	46	:	54.
4.	-issimus	88	:	12.
5.	minimus	100	:	0.

Ergo plane consentire dicendum est orthographiam Sallustianam cum Plautina et Terentiana.

1) Numeralia ordinalia ter inveniuntur „i" littera scripta: decimus J. 97, 3; 109, 3; vigesimus C. 47, 2.

b) in Historiarum fragmentis[1]).

Fragmentis, quae a grammaticis servata sunt, omissis ea tantum respexi, quae in foliis codicis palimpsesti Aurelianensis et codicis Vaticani Reginensis extant, praeterea epistulas et orationes, quae in Vaticano servatae sunt.

1) Folia Aurelian. et Vatic. s. IV/V.
   a) -issimus frg. libr. II 87 A; 92; 98, 5.
      -illimus l. III 96 A.
      maximus l. II 87 C; 98 D.
      optimus l. III 98 B.
   b) <plu>rumus l. III 98 A.
      proxumus l. II 98 D.
   Habemus igitur septies „i", bis „u".
2) Orationes et epistulae in cod. Vatic. 386, 4, s. X.
   a) -issimus I 55, 6. 24; 77, 1. 1. 7. 15; II 47, 4. 6; 98, 1. 1. 5; III 48, 19; IV 69, 2. 4. 12 Maur.
      -errimus II 98, 1; IV 69, 8. 13. 20; maturrime I 77, 16.
      maximus I 55, 1. 2. 18. 22; 77, 1; II 47, 4. 12; IV 69, 3. 19.
      optimus I 55, 2; 77, 21; II 98, 1; IV 69, 14.
      pessimus I 77, 1. 15. 22.
      plurimus I 55, 1.
   b) maxumus I 55, 25; IV 69, 17. 20.
      optumus I 55, 2.
      pessumus I 55, 21.

---

1) Usus sum editione Bertoldi Maurenbrecher (Lips. 1893), qui fasc. II p. 214 sq. de orthographia Sallustiana quid sentiat supra d. 61 dixi.

Summa:	maximus	9 (i)	:	3 (u).	
	pessimus	3 „	:	1 „	
	optimus	4 „	:	1 „	
	plurimus	1 „	:	0 „	
	-errimus	5 „	:	0 „	
	-issimus	14 „	:	0 „	

Quamquam exempla pauciora extant, quam ut horum codicum rationem perspiciamus, tamen Maurenbrecherus omnibus locis formas in -imus exeuntes Sallustio imputare non debuit.

12) Superlativi apud Cornelium Nepotem.

Inter ca. 250 exempla superlativorum unum more vetustiore scriptum:

apertissuma Milt. 5, 3 [1]).

13) Superlativi apud Vergilium.

Exempla e Ribbeckii indice grammatico (Prolegom. p. 450) sumpsi [2]):

-issumus Pγ Aen. XI 825.
-errumus Pγc Aen. XII 507; Pγ Aen. XI 852.
intumus F Aen. I 243; P Ge. IV 66; R Aen. VII 347.
maxumus M Ge. I 26. 244. 329. 429; R Aen. VII 217; VIII 84. 136. 271. 272. 470. 716; R Aen. VIII 572.
optumus Mb Aen. VIII 127; P, Nonius Ge. III 51; R Aen. I 555; IX 40.

---

1) „Non apertissuma“ omnes editores post Rothium, „nona (vel „nana) partis summa“ codd. Danielis, Wolfenbuttel., Parcensis, „non apertis summa“ Sangall., ceteri corruptiora.

2) Codicum signa: M(ediceus), P(alatinus), R(omanus), F(schedae Vaticanae), qui sunt litteris capitalibus scripti omnes (s. III—V); γ (Gudianus), a et b (Bernenses) (s. IX).

plurumus Mi Ecl. VIII 96.
proxumus P Ecl. II 54; R Aen. VIII 594; IX 238.
-illumus, infumus, minumus, ultumus: nusquam.

14) Superlativi apud Horatium.

„U“ litteram in nonnullis codicibus inveni his in versibus:

optumus Od. IV 5, 1; Sat. I 3, 130. 132; I 4, 105; I 5, 27 [1]).
pessumus Od. IV 8, 4.
proxumus Sat. I 5, 45; I 9, 54.

Summa: „optumus“ 5-ies
„proxumus“ 2-s
„pessumus“ 1-el
ceteri nusquam.

15) Superlativi apud Tibullum.

Semper „i“ littera scripti.

D. Superlativi in fragmentis poetarum aetatis liberae reipublicae [2]).

I -issumus.

1) -issimus ca. 51-ies.
2) -issumus:
Plaut. Aul. 668 (ap. Non. 45, 22) [3]).
Enn. sat. 490 Baehr. (ap. Cic. de nat. deor. I 35, 97).

1) Optumus — quinquies, optimus — novies.
2) Hic Plauti quoque versus a grammaticis laudatos collocavi, Terentianos colligi non licuit, quod doleo.
3) Charis. p. 189, 25 k. „i“; codd. Plauti „u“.

II -errumus.

1) -errimus 10-ies.

2) -errumus:

Enn. Ann. 55, 16 Baehr. (ap. Cic. de divin. I 48, 107).

Enn. trag. frg. 91 Ribb.[2] (ap. Cic. tusc. I 44, 105).

Acc. Brut. frg. 37 R. (ap. Cic. de divin. I 22, 44).

III -illimus.

Semel -illimus.

IV intimus.

Semel „i“.

V maxumus, maximus.

1) „i“ 28-ies.

2) „u“:

Plaut. Mo. 280 (ap. Gell. XX 6, 12) [1].

Pacuv. trg. 183 R. (ap. Non. 496, 44) [2].

Turpil. com. 45 R. (ap. Non. 8, 20) [3].

Turpil. com. 178 R. (ap. Non. 260) [4].

Lucil. sat. XXVI 11 Müll. (ap. Non. 437, 22) [5].

Lucil. sat. XXVI 95 M. (ap. Non. 437, 13) [5].

Trag. inc. frg. 75 R. (ap. Cic. Tusc. I 16, 37).

VI minimus.

1) „i“ 5-ies.

2) „u“:

Varr. sat. Men. 175 Buech. (ap. Non. 459, 2) [6].

---

1) Plauti codd. „i“.

2) Nonii codd. LH Bamb. „i“.

3) Nonii L; „i“: Bamb.

4) L „i“.

5) Bamb. „i“.

6) „esse hominem“ Lips., Riesius, L. Mueller; „esset hoc minumo“ Bamb.; „esset hoc minume“ LHG; „esse te hoc minumo“ Buech.

VII optimus et optumus.

1) Optimus 19-ies.
2) Optumus 11-ies:
Naev. bell. Poen. frg. 14 B. (ap. Varr. l. l. VII 51).
Plaut. Aul. 237 (ap. Non. 240, 13) [1]).
Enn. trg. 41 R., 45 R., 46 R. (ap. Cic. de divin. I 31, 66) [2]).
Enn. trg. 132 R. (ap. Non. 475, 4).
Acc. praetext. 16 R. (ap. Non. 200, 36).
? Aquil. com. 5 R. (ap. Gell. III 3, 5) [3]).
Afran. tog. 52 R. (ap. Non. 394, 2).
Varr. sat. Men. 63 Buech. (ap. Non. 201, 7).
Varr. sat. Men. 321 Buech. (ap. Non. 55, 24) [4]).

VIII pessimus, pessumus.

1) „i“ 7-ies.
2) „u“ bis:
Caecil. com. 79 R. (ap. Gell. XV 9, 1) [5]).
Lucil. sat. XXVII 37 M. (ap. Non. 29, 24) [6]).

IX plurimus.

1) -imus 6-ies.
2) -umus nusquam.

X proximus, proxumus.

1) -imus bis.

---

1) Plauti libri „i“.
2) Cod. Leidensis H „i“.
3) Vatic. ex correctura praebet secundum Ribbeckium „optumum“, secundum Hertzium (in Gellii apparatu) „optimum“.
4) In eodem fragmento traduntur quoque formae „diutissime“ „modestissime“.
5) Apud Non. 205, 1 „i“.
6) Codd. „opes summum“, Muellerus „pessumum“.

2) -umus:

Com. inc. 47 R. (ap. Charis. p. 195 K.).

Varr. sat. Men. 391 Buech. (ap. Non. 178, 31) [1]).

XI ultimus.

Semel occurrit idque „i“ littera scriptum [2]).

Sicut supra formarum conspectum proponam, ut ratio perspiciatur formarum „i“ et „u“ littera scriptarum.

1.	proximus	2 (i)	:	2 (u)	=	50	:	50.
2.	optimus	19	:	11	=	63	:	37.
3.	-errimus	10	:	3	=	77	:	23.
4.	pessimus	7	:	2	=	78	:	22.
5.	maximus	28	:	7	=	80	:	20.
6.	minimus	5	:	1 (?)	=	83	:	17.
7.	-issimus	50	:	2	=	96	:	4.
8.	-illimus	1	:	0	=	100	:	0.
9.	intimus	1	:	0	=	100	:	0.
10.	ultimus	1	:	0	=	100	:	0.
11.	plurimus	6	:	0	=	100	:	0.

Omissis autem superlativis, qui minus 15-ies inveniuntur, „optimus“, „maximus“, -issimus restant atque eodem quidem ordine quo Plauti Terentiique formae:

1.	optimus	63	:	37.
2.	maximus	80	:	20.
3.	-issimus	96	:	4.

1) Apud Non. 494, 26 „i“.

2) Praeterea „extimus“ semel, „dextimus“ semel, „medioxime“ semel; numeralia semper sunt „i“ littera scripta.

Ex quo conici licet primum ne uno quidem loco grammaticos sua libidine „u“ intulisse (excepto fortasse Varronis frg. sat. Men. 175 Buech.) [1]), deinde non semper, ut plerique putare videntur, scriptores II a. Chr. n. saeculi „u“ scriptitasse, sed in aliis superlativis secundum pronuntiandi morem „i“ saepius quam „u“. Consentaneum est Ciceronem [2]) et Gellium [3]) saepius „u“ servasse quam Nonium.

Contemplemur quae de superlativorum orthographia indagavimus. Usque ad hunc diem viri docti existimaverunt „-umus“ suffixum vetustius esse quam „-imus“, hoc ex illo esse ortum; quam sententiam his argumentis probabant: in inscriptionibus aetatis liberae reipublicae semper fere „-umus“ scribi, aetatis imperatoriae semper fere „-imus“; haud secus in priscorum scriptorum libris saepe „u“ extare. Qua re illi adducti sunt, ut dicerent scriptores s. VI a. u. c. semper scripsisse „-umus“; tum s. VII et initio s. VIII hanc orthographiam haud raro adhibitam esse, maxime a Sallustio aliisque, qui antiquos imitarentur, auctoribus denique Caesare et Augusto suffixum, quod est „-umus“, de medio esse remotum. Quod si in codicibus poetarum s. VI „i“ frequentari videremus, hoc esse scribarum errore factum, qui paullulatim irrepsisset, neque ab eorum voluntate profectum; nam

1) Hac de causa potius Riesio Muelleroque, qui cod. Lipsiensis lectionem receperunt, quam Buechelero assentiendum esse puto.

2) Apud Ciceronem octies „u“, totidem „i“; atque hoc quidem notandum est has octo formas „u“ littera scriptas in operibus philosophicis inveniri, quibus in scribendis auctor veterum poetarum libros in manu habuit, cum in epistulis ad familiares ex mente attulerit locos ideoque suo more h. e. „i“ littera superlativos scripserit.

3) Gellius bis „u“, ter „i“.

scribas temere ita superlativos scriptitasse, ut ipsorum aetatis mos ferret. Quam sententiam nunc refutavisse mihi videor; exposui enim suffixi etymologiam dubiam quidem esse, sed Brugmannum, qui unus uberius de illo egit, probare studuisse antiquissimam formam Italicam non fuisse „-umus“, sed „-$\overset{i}{u}$mus“; qua ex littera media et „u“ et „i“ prodire potuit. Aetatem imperatorum „i“ praetulisse cum certum sit, iam exeunte s. VII et ineunte VIII pronuntiatio ad „i“ litteram inclinavit, sed ante Caesaris aetatem fluctuabat inter „u“ et „i“; porro verisimillimum est s. VI auribus Romanorum magis „u“, quam „i“ litteram perceptam esse, qua de causa plerumque „-umus“ scribebant. Plerumque dico, non semper. Ad hoc temporis viri grammatici singulos superlativos non distinxerunt, velut in Plauto edendo scripserunt sine ullo discrimine „optumus“, „maxumus“, „intumus“, „minumus“, „carissumus“, cett. Qua in re illos erravisse contendo, nam primum docui non eadem omnes superlativos ratione tractatos esse, tum quosdam superlativos numquam fere in „-umus“ exisse. Contrarii diversique inter se sunt „optumus“ et „minimus“. Ante Caesaris mortem in titulis „optimus“ non extat; primum quod sciam hic superlativus „i“ litterâ scriptus est in lege Ursonensi a. a. Chr. 44; contra „optumus“ haud raro ad finem s. II p. Chr. in titulis legitur; quin etiam usque ad s. IV exempla invenimus. Quo de superlativo observavimus in nullo titulo „optimus“ una cum alio superlativo „u“ litterâ scripto extare, saepissime „optumus“ cum aliis superlativis in „-imus“, e. g.

aet. August. CIL X 3903;

s. I p. Chr. CIL XI 3872; X 1401; VI 3580. 17115;

s. II p. Chr. CIL XIV 3579 („optumus“, „plurimus“, „castissimus“, „tristissimus“); XII 4354.

Ac ne desunt quidem tituli, in quibus „optumus“ artissime aliis superlativis in „-imus“ exeuntibus sociatus est, in una formula, cum uno substantivo coniunctus, velut iam aetate liberae reipublicae

CIL I 1109 „Jovi optumo maximo“ (v. supra p. 19), eadem formula eademque ratione scripta CIL VI 384 et 411; porro:
„optumi maximique principis“ X 7852;
„optumis piissimis“ II 6271; IX 4166, 8;
„optumo et piissimo“ VI 14975;
„optumo ac reverentissimo“ VI 2188/9;
„optumo et indulgentissimo“ VI 21921;
„indulgentissimo optume de se merito“ VI 9952.

Huiusmodi exemplis evincitur in voce „optumus“ „u“ diutius servatam esse, quam in ceteris superlativis. Ceterum in codd. quoque „u“ in „optumus“ saepius occurrit, quam in ceteris Cicerone (ut videtur) excepto et Caesare. Superlativo „optumus“ maxime diversum esse „minimus“ iam supra dixi: in titulis nusquam „minumus“ deprehendi, „minimus“ iam s. a. Chr. II (CIL I 1408); in scriptorum codd. semper „i“ scriptum praeter tres locos, qui quin corrupti sint non dubito:

Plaut. Cp. 323 (codd. ex silentio!);
Ter. Heaut. 245 (cod. P. ex silentio!);
Varr. sat. Men. 175 Buech. (ap. Non. 459, 2; locus corruptus).

— Haec duo exempla „optimus“ et „minimus“ iam ipsa docent superlativorum orthographiam non posse ad unam regulam dirigi, sed ceteros quoque superlativos varie a singulis scriptoribus tractatos esse supra vidimus. Si quis

quaerat, quid sit causae, cur non ad eandem omnes superlativi relati sint rationem, causas proferre certas quidem vereor, sed ubi casuum terminationes nihil ad suffixi litteram valere cognovi, superiores litteras maioris esse momenti suspicatus observavi, si in syllaba, quae praecedat, „o“ (nec non „u“) contineatur, ad „u“ litteram vocem in suffixo „$\overset{i}{u}$mus“ delabi, velut in „optumus“, „proxumus“ („ultumus“, „plurumus“), sin autem „i“ vocalis antecedat, litteram inter „u“ et „i“ mediam propensam esse ad „i“, ut puta „minimus“. Praeterea pinguioris soni studium augeri videtur litterâ „t“ verbi radicem claudente.

— Adhibuere ergo scriptores prisci et „-umus“ et „-imus“ atque illud quidem, ut videtur, *saepius* quam in nostris codicibus extat, quoniam „-umus“ in „-imus“ mutari potuit, non potuit hoc in illud. Nam si „-imus“ in -umus a scribis grammaticisve mutatum esset, aliquoties „minumus“ in libris manu scriptis legeremus! Neque erit qui miretur hanc rei orthographicae inconstantiam in Plauto aliisque; equidem contra maiore moverer admiratione, si illi constantes fuissent. Quin C. Julius Caesar, qui esset ἄκρος ἀναλογιστής, in superlativorum orthographia constans non fuit.

Qui igitur scriptores latinos maximeque aetatis antegrammaticae edunt, ut quam proxime accedant ad genuinam scriptorum orthographiam, codices duces sequantur!

Caput II.

De perfecti in -vi exeuntis formis apud Plautum ceterosque poetas iambicos.

De iis verborum latinorum formis a perfecto derivatis ut denuo agerem animum induxi, quae litteram spirantem „v“ vel servarunt vel omiserunt, nam cum in Plauti usum inquirerem, intellexi cum omnes quaestiones grammaticas tum hanc vix ad certum finem perduci posse, antequam plena formarum collectio diligenter examinata sit eaque per temporis spatia et genera orationis digesta. Quamquam non prorsus desunt commentationes, quae de perfecti formis plenis et brevioribus agant, sed paucae mea quidem sententia vera ratione scriptae, perpaucae tota verborum copia congesta. Duae tantummodo dissertationes laudandae sunt, altera Eugenii Frohwein „Die Perfectbildungen auf vi bei Cicero Gera 1874“, qui summâ diligentiâ omnia Ciceronis scripta perlegit et omnia exempla secundum vocales „v“ litteram praecedentes proposuit, altera Ludovici Scheffler (Theodori Birt discipuli), quae inscribitur „De perfecti in vi exeuntis formis apud poetas latinos dactylicos occurrentibus Marpurgi 1890“; maxime autem id doleo, quod nemo adhuc quantum scio sub uno oculorum conspectu dicendi genus posuit, quo priscae aetatis scriptores usi sunt. Neuius enim, qui omnium erat diligentissimus in declinationum formis

cogendis, neque plenam materiem proposuit neque temporum discrimina satis respexit. Qui nunc librum Neuianum edendum curat Wagenerus pro sua doctrina et diligentia quin totam copiam mox proponat omniumque desiderium expleat dubium non est. Quae ipse iam abhinc sex annos collegi, illi nunc traditurus spero me ad aedificium grammaticae latinae, quod a tot tantisque viris exstruitur, aliquid pro virili parte collaturum.

Cum Plauti usum perfecti cognoscere studerem, brevi intellexi necesse esse eum cum aliis scriptoribus comparare. Neque putabam unicam se praebere comparationem Plauti cum ceteris omnibus scriptoribus priscis, praestare censui eum cum aliis poetis iambicis comparari et usum iambicorum usque ad finem s. I p. Chr. n. componi. Nemo nescit quantum in graecis litteris ad totam orationis indolem metrum valuerit: aliâ prorsus linguâ uti, qui dactylos componant, videmus, aliâ qui iambos trochaeosve. Quamquam in litteris romanis dialectorum italicarum vestigia captamus fere nulla, quamquam et Naevius Campanus et Ennius Calaber et Plautus Umber eâdem omnes utuntur linguâ Romanorum, qui illas gentes subegerint, attamen ii varia adhibuerunt metra et quis negabit metrum orationi vincula imponere quam gravissima, praesertim quo tempore incunabula sint litterarum. Omnibus notum est, quantum Ennius linguam latinam commutaverit, cum eam hexametri legibus accommodaret [1]). Ex iis, qui de ea re egerunt, lau-

1) Ennium linguam latinam quasi necasse Romanensium linguarum periti dicunt. Si Ennius non hexametro, sed alio metro quolibet annales composuisset, velut saturnio, multis in rebus alia esset lingua Ciceronis ac quae nunc extat. Re vera Ennius violentissimus tyrannus libertatem linguae eripuit severisque legibus destrinxit.

dandus est Koenius [1]), qui primus nos docuit, quantam ad elocutionem transformandam vim habeat metrum, etiamsi ille iusto maiorem vim metro tribuit eaque de causa saepe vehementer errasse mihi videtur. Nunc pervolgata est res omnibus poetarum sermonem indagantibus quaerere utrum quaedam locutio vel vox metro conveniat necne. Sed quod abhinc quinquaginta annos hoc iam intellexit, laudi ac merito Koenio dandum. Fac cogites quantum interfuerit nullum verbum proceleusmaticum, nullum creticum, nullum, in quo una syllaba brevis duabus longis inclusa esset, a poeta dactylico adhiberi potuisse, velut cĕlĕrĭtĕr, grātĭīs, ămāvĕrāmŭs. At alia nimirum fuere vincula, quibus Ennius linguae latinae novator premeretur, alia, quibus qui iambos et trochaeos scriberent. Etsi concedamus poetas scaenicos veteres amplissimam sibi vindicasse libertatem in metro Graecanico tractando, tamen satis erant severi in fine conformando, in caesura legitima adhibenda, in consociando versus ictu cum verborum accentu. Et his sane legibus eo adducebantur, ut alias verborum formas adamarent, alias minus adhiberent, alias denique non ponerent nisi in certis versus pedibus.

Quodsi quis formas latinas tractare velit, primum debet distinguere poetarum sermonem et orationem pedestrem, tum poetarum dactylicorum et iambicorum [2]). Duo igitur statuo linguae poeticae genera, nam neque carmina saturnia pleramque partem temporum iniquitatem tulerunt, neque versus anapaestici, bacchiaci, cretici, al. inserti comoediis tragoediis-

---

1) „Koene, über die Sprache der römischen Epiker, Münster 1840."

2) Manifestum est pedestris quoque sermonis complura esse genera atque e. c. distinguendam esse linguam, qua magistratus senatusve in legibus decretisque utuntur, ab oratione Catonis, hanc a lingua Ciceroniana etc.

que seorsum tractari possunt, utpote quorum numerus perparvus sit. Ego cum mihi provinciam Plautinam elegissem, omnes poetas, qui iambos trochaeosve fecerunt [1]), usque ad Senecam tragicum [2]) legi et omnes formas coacervavi, quae a perfectis in -evi, -ovi, -avi, -ivi exeuntibus derivatae sunt, uno omisso verbo eundi. Quod verbum multis commotus causis ex ceterorum agmine exclusi, nam primum quinquaginta ante annos Fleckeisenus [3]) de huius verbi formis Plautinis egit, deinde amplissimam illud ipsum praebuit exemplorum copiam, denique dubitationes quasdam difficillimas movit, quas nondum explicare omnes mihi licuit. Tamen spero disputatiunculam meam nullum omisso hoc verbo detrimentum capturam, quoniam sua semper ratione eundi verbum formatum sit.

Praeter Fleckeisenum autem Conradtus [4]) a. 1876 eas formas tractavit, quae ab „er“ incipientes apud Terentium extant, legemque statuit, quam infra afferam. Tum a. 1884 Engelbrechtus [5]) omnes formas collegit, quas apud Plautum Terentiumque invenerat, sed equidem etiam post eius commentationem denuo omnes formas proferre constitui his de causis: 1) hanc rem contexte apud omnes priscae

1) Eodem tempore (a. 1890) Schefflerus Birtii auspiciis poetas dactylicos perlustravit.

2) Sane non omisi titulos iambicos et trochaicos, testes integerrimos, a Buechelero collectos: „Anthologia latina, p. II: carmina epigraphica fasc. I, Lipsiae 1895“.

3) Cuius egregiae studiorum primitiae inscriptae sunt „Exercitationes Plautinae, Gottingae 1842“. Quae ille invenit, eorum summa etiam nunc pleramque partem constat, sed quoniam illo tempore editionis criticae οὐδὲ γρῦ erat, retractanda sunt omnia, quod a me ipso mox factum iri spero, nam quae Leo a. 1883 in Mus. Rhen. p. 22 sq. obiter de verbi eundi formis dixit, non satisfaciunt.

4) Herm. v. X, p. 104—106.

5) Stud. Vindobonens. v. VI, p. 219—245.

aetatis scriptores iambicos tractandam esse iam supra dixi, 2) versus aut corrupti aut in libris manu scriptis varie traditi latius ac fusius considerandi sunt, 3) a. 1884, quo Engelbrechti disputatio edita est, dimidia tantum pars fabularum Plautinarum commentariis criticis instructa prodierat, nunc et omnes viginti a Ritschelianis illis editae et fragmenta a Wintero Goetzioque collecta sunt, 4) denique quae gravissima mihi fuit causa, ut rem retractarem, Engelbrechtus duo formarum ordines non distinxit, quos seiunctim perlustrandos esse contendo:

I eas, quarum clausula iambo vel cretico respondet: futurum exactum, indicativum plusquamperfecti, coniunctivum perfecti „amavero“, „amaveram“, „amaverim“ (= ⏑ - ⏑ -), quibus adiungenda est forma 3 personae pluralis perfecti indicativi, quae saepe hanc praebet mensuram „amavĕrunt“ (= ⏑ - ⏑ -),

II eas, quae in trochaeum spondeumve cadunt: 2 personam perfecti indicativi, coniunctivum plusquamperfecti, infinitivum perfecti „amavisti(s)“, „amavisse(m)“ (= ⏑ - - ⏑̲).

Quos formarum ordines ea de causa discernendos esse puto, quod versuum structurâ effectum est, ut prorsus aliis rationibus adhiberentur formae plenae contractaeve ordinis quem statui prioris atque alterius. Quod discrimen Engelbrechtus cum neglexisset, verum indagare non potuit [1]).

Conradtus enim l. s. l. hanc legem statuit: „In denjenigen Formen, die von Perfecten auf -avi, -evi, -ovi abgeleitet sind und in denen die angehängte Endung mit -er

1) Minoris facio errores, quos Engelbrechtus in singulis versibus commisit, velut falsas indicavit codicum scripturas ad Plauti vv. Amp. 272, As. 79. 727, Tru. 957, Aul. 266, Tru. 575 al.; nonnullos autem versus omisit velut Poen. 1044, Mil. 922, R. 956b, Amp. 468, R. 591, Mil. 1313, Cp. 306.

beginnt[1]), contrahirt Terenz jedesmal, wenn die Form mitten im Verse steht, in -aram, -eram, -oram u. s. w.; bei denen, die von Perfecten auf -ivi gebildet sind, stösst er in gleichem Fall stets das „v" aus und verkürzt das „i". Die vollen Formen gebraucht er nur im Versschlusse."

Hanc legem Engelbrechtus dilatavit statuitque eam non solum ad formas pertinere, quarum suffixum a syllaba -er exordiretur, sed ad omnes[2]): Terentium „v" non servasse nisi in versus fine. Quod recte Engelbrechtus observavit; at illa lex non modo in Terenti fabulis viget, sed in tota poesi iambica inde a Terentio, legis autem initia iam in Plauti fabulis invenientur, si quidem duo quos statui ordines discernemus. Unum exemplum afferam: formas -averam, -averim in Plauti fabulis septuagies fere usurpatas inveni in versus fine, in aliis versus pedibus bis vel potius semel; apud Terentium nunquam medio in versu. Lex igitur illa apud Plautum iam uno vel duobus versibus exceptis observata est. Contra -avisti(s), -avisse(m) sim., quae formae vix possunt in fine versus collocari, quoniam versus in trochaeum cadentes a Terentio raro, rarius a Plauto facti sunt, apud Plautum medio in versu inveniuntur fere vicies, a Terentio vero cum versu exeunte poni non potuerint propter leges metricas, medio propter illam legem Engelbrechtianam, reapse si exempla ab Engelbrechto meque ipso composita inspicias, nullam huius ordinis formam plenam (-avisti(s), -avisse(m)) usurpatam esse videbis.

Ut summam faciam, duas leges in poesi iambica statuendas esse censeo:

1) Omnes poetae iambici inde a Plauto

1) H. e. in formis prioris quem statui ordinis.
2) H. e. ad formas ordinum meorum et prioris et alterius.

usque ad Phaedrum scripserunt et -averam, -averim, -averunt (-overam, -everam, -iveram etc.) et -aram, -arim, -arunt (-oram, -eram, -ieram etc.), sed illas fere semper in fine versus posuerunt. Seneca ne in fine quidem formas plenas usurpavit.

2) Omnes poetae iambici inde a Terentio semper fere formis contractis -asti(s), -asse(m) usi sunt.

Cum de fine versuum loquor, breviloquentia utor, nam idem, quod ad versuum finem pertinet, in eum quoque versuum pedem cadit, qui prius tetrametrorum κῶλον finit; nam cum octo pedes vel integri vel catalectici paullo longiorem versum efficiant, quam qui uno vocis spiritu pronuntietur, notum est poetas diaeresi quae dicitur in duas partes octonarios et septenarios divisisse et medii versus clausulam isdem fere legibus constrinxisse ac totius versus finem; quin hiatum in septenarii iambici diaeresi legitimum fuisse inter omnes constat, item haud pauci, quibus ipse me adiungo, non existimant hiatus in diaeresi trochaicorum tollendos esse, ceterum adhuc sub iudice lis est. Nihil igitur interesse statuo inter versuum finem et diaeresim, quod Engelbrechtus neglegere non debuit. Sin quis miratus interroget, quaenam in versus fine vis singularis fuerit, ut eo loco formas pleniores poni licuerit, aliis non licuerit, illi duabus hoc effectum esse causis respondendum.

Nam primum quidem per se patet tales formas (prioris dico ordinis formas) aptissimas esse, quae senarios vel tetrametros trochaicos vel iambicorum septenariorum partem priorem claudant: „amáverant“, „audíverint“, „nóvĕrunt“, praeterea considerandum est huius generis formas saepe longiores esse, quam ut alio senarii loco ponantur; fac te velle „imperaveram“ senario inferre; quem si caesura usitatissima, quae est πενθημιμερής, ornare vis

⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ // ⏑́ ⏑ – ⏒ ⏑́ ⏑ ⏒,

nullo loco praeter finem hoc verbum „imperaveram“ ponere poteris:

⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ // ⏑́ ⏑ imperáveram,

nisi ultimam syllabam „am“ elisione delebis
aut sic: ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ // ímperaveram ómnibus,
aut praecedente monosyllabo sic: ⏑ ímperaveram // árte – ⏒ ⏑́ ⏑ ⏒

Sed formae ut „imperaveras, -at, -ant“ solum in senarii fine collocari possunt, item fere in tetrametris in creticum exeuntibus.

Altera autem causa est vis, quae in versuum fine inhaeret; vim dico servandi formas veteres, obsoletas, inusitatas (velut „amarier“) et tutandi formulas quasdam (velut „ubi gentium sim.). Cuius proprietatis nonnulla exempla componere libet, partim iam ab aliis collecta vel certe annotata, partim a me nunc primum indagata. Atque omnium quidem primum coniugationis proferam formas obsoletas. I n f i n e f e r e v e r s u u m c r e t i c o a u t a n t e d i a e r e s i m s e p t e n a r i o r u m i a m b i c o r u m i n v e n i u n t u r f o r m a e h a e:

1) I n f i n i t i v i p a s s i v i i n - i e r, de quibus Ludovicum Lange [1]) uberrime egisse notum est. Idem vir doctissimus omnia exempla huius suffixi ex litteris latinis collegit inde a belli Hannibalis temporibus usque ad Serenum Sammonicum et Ausonium Burdigalensem. Apparet iam Livi Andronici aetate hoc suffixum obsoletum fuisse et, quamquam in t i t u l i s, qui ad vetustatem servandam propensissimi erant, post a. 631/2 non occurrant, a poetis dactylicis adhi-

1) Denkschriften der Wiener Akademie X (1860), p. 1—58; ceterum neque illi contigit, ut huius suffixi „ier“ originem probabiliter explanaret, neque ei, qui novissime de eo egit, Miodońskio, Archiv f. lat. Lexicogr. VII (1890), p. 132.

bitos esse aetate etiam Ciceroniana et Augustea, cum Lucretius [1]) exhibeat quadraginta quinque exempla, Vergilius sex [2]), Horatius [3]) novem. Apud poetas scaenicos fere semper illae formae in fine versuum inveniuntur: apud Plautum quidem fere centies nonagies, sed ter tantum in medio versu: Ba. 1170, Cas. 220, Mil. 1073; neque casu factum esse puto, ut hi versus sint anapaestici, lyricos enim versus hac in re aliorum versuum fini cretico similes fuisse contendo. Item apud ceteros scaenicos infinitivi in -ier exeuntes semper in fine ponuntur, praeter Acc. tog. 28 R., nam Ter. Ad. v. 535 [4]) corruptum esse Conradtus [5]) demonstravit. Memorabile est poetas quoque dactylicos certas sedes his formis obsoletis tribuisse: apud eos inveniuntur octoginta quattuor exempla suffixi „ier", quorum duodeseptuaginta in quinto pede hexametri posita, sedecim in aliis pedibus, praesertim in primo [6]). In titulo iambico [7]) aetate fere Sullana confecto „ornarie[r]" in fine versus extat [8]).

2) Siem, sies, siet, sient; possiem, adsiem, intersiem, subsiem etc. Jam diu observatum est tales coniunctivos, qui saepissime in scaenicorum

---

1) Cf. Staedler, de serm. Lucret. Jenae 1869, p. 9 sq.

2) Cf. Wotke, Wiener Studien VIII (1886), p. 145.

3) Lange, l. l. p. 8.

4) „Laudárier te audít libenter: fácio te apud illúm deum."

5) Hermes X (1876), p. 104; eum E. Stange mea sententia non refutavit in libello, qui inscribitur „De archaismis Terentianis Wehlau 1890", p. 30 sq.

6) Vergilius 5-ies in quinto pede, semel in quarto (non semper in quinto, ut Wotke l. l.!), Lucretius 34-er in quinto, 11-ies in ceteris (Staedler, l. l. p. 10).

7) Buech. 54, 4 (= CIL I 1306).

8) Langius cum l. l. p. 29 suspicatur in tertio hexametrorum pede „ier" ea de causa non occurrere, quod „ier" ex „iere" ortum sit, in hac re eum errare luce clarius est.

versibus extant, nunquam fere medio in versu legi [1]). Sed cave ne ubique formas pleniores expellas, ubi in codicibus traditae sunt in medio versu; sunt autem, apud Plautum hi loci:

Cu. 322 Úbi sient: nam illís conventis sáne opus est meis déntibus.

Poen. 148 Ubi díssolutus tú sies, ego péndeam.

(quamquam accentus „sies" malus est; an semper pronuntiabatur hoc verbum „siés"?)

St. 202 Adeúnt, perquirunt, quíd siet causae, ílico.

Legendum est „sit causaë ilico", v. infra.

Aul. 495 Sient víliores Gállicis canthériis.

Metri causa praestat „sint" legere, quod Goetzius et Langenus et nuper Leo ediderunt, Reizium secuti; item

Aul. 370 Rapácidarum ubi tántum siet in aédibus.

Legendum „sīt"; haud secus

Tru. 962 Quoí, si capitis rés siet, nummum númquam credam plúmbeum.

Ps. 1120 Venio húc ultro ut sciam quíd rei siet, ne illíc homo me ludíficetur.

Contra tutandum in bacchiacis:

Men. 764 Verúm propemodúm iam sció quid siét rei.

Denique sine legitima excusatione in prologo:

Amp. pr. 130 Haud quísquam quaeret quí siem aut quid vénerim [2]).

---

1) Cf. C. F. W. Mueller, Prosod. Plaútin. Additam. p. 83; Conradt, Hermes X p. 101 sqq.; Stange, l. l.; Dziatzko in ed. Phorm.[2], praef. p. 33 adn. 2 et p. 41; Luchs in Studemundi Studiis in prisc. script. coll. I p. 30 sqq., al.

2) Mil. 261 et St. 200 solus Ambrosianus errore „siet" et „sient", cet. recte „sit" et „sint"; contra A recte „sit", cet. „siet" e. g. Tru. 230; A „est", cet. „siet" Tru. 364; Palatini falso „siet", ubi Nonius verum servavit Amp. 979.

Itaque medio in versu habemus „siem“: Cu. 322, Poen. 148; in versu bacchiaco Men. 764; in prologo Amp. 130; in ceteris autem versibus forma brevior restituenda est, ut in versibus in p. 84 adn. 2 allatis. In fine vero vel ante diaeresim saepissime extant formae „siem“, „sies“, „siet“, „sient“, velut in Poenulo novies, in Amphitruone sedecies. Terentius, de quo optime Conradtus l. l. p. 101—104 egit, semel dumtaxat Hec. 637 formam priscam in medio versu scripsisse videtur, septuagies fere in fine [1]). In fragmentis poetarum scaenicorum „siem“ sexies traditum in fine: Ennius trg. 244 R[2], Pacuv. 17, Accius 19. 310. trg. inc. 195; Pompon. 103 [2]). Exempla a Stangio p. 22 sq. e titulis aetatis liberae reipublicae collata docent „formam siet et sient solam usque ad annum 647 a. u. c. et infinitivos in -ier Terentii aetate solos inveniri“ et „Romanos prius infinitivis in -ier, quam formis siet et sient uti destitisse“. Sed quod idem vir doctissimus nullo discrimine formas plenas imminutasque et medio in versu et exeunte Terentio tribuere vult, hac in re cum aliis omnibus facio, contra quos ille disseruit, h. e. non tueor formas pleniores medio in versu, nisi nullâ leni medelâ breviores inferri possunt, omnium enim scaenicorum usus demonstrat has formas obsoletas iam altero a. Chr. n. saeculo fuisse propriamque sedem in fine versus habuisse, quae sententia et titulis [3]) confirmatur neque refu-

---

1) Vide Stangium, l. l. p. 13, qui formas quoque breves in comparationem vocavit statuitque „sim“ etc. 224-er occurrere, 70-ies „siem“.

2) Nimirum omisi locos, quibus coniecturâ „siet“ illatum est; Stangius, p. 26 adn. Ribbeckii editionem priorem adhibuit, qua de re ipse denuo exempla collegi.

3) V. Stangium l. l.

tatur Ciceronis testimonio (orat. 47, 157)[1]. Nam cur ille ipse nunquam „siet“ scripsit? Aut cur nullis in titulis praeter publicos „siet“ extat? Quid? quod iam in L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis elogio saturnio, quod propter argutias oratorias septimi saeculi initiis Buechelerus[2]) tribuit, „sit“ scriptum est? Quid? quod Andronicus pater ille litterarum latinarum in Aiace Mastigophoro „sit“ posuit, quod Nonius testatur? Atque hoc quidem animadvertendum: qua de causa numquam „siemus“, „sietis“ in litteris latinis legitur? Equidem puto iam medio saeculo sexto coniunctivi praesentis formas plenas obsolevisse, ut iis nemo uteretur nisi qui titulos publicos incidendos curabat aut qui eas clausulas iamborum et trochaeorum catalecticorum commodissimas habebat; et „siemus“, „sietis“ in fine versuum creticorum poni potuerunt nequaquam[3]).

Idem ad eorum verborum usum valet, quae sunt composita verbi substantivi: adsiem, subsiem, possiem, intersiem[4]), quae formae plerumque in fine versuum collocatae sunt, praeter Ba. 762

Metuóque ut hodie póssiem emolírier

---

1) „. . . Siet plenum est; sit imminutum; licet utare utroque. Ergo ibidem (non quidem apud Terentium, ut Cicero ait, sed apud incertum poetam! Ribb. trg. frg.² 194 sq.):

Quam cara sint, quae post carenda intellegunt
Quamque attinendi magni dominatus sient.“

2) Anthologia latina I Nr. 9, p. 8.

3) Ceterum eos reicere nequeo, qui accentu hoc factum esse putent. Attamen ne oblitus sis primam alteramque pluralis formas omnino esse rarissimas, ut puta in Terentii fabulis „simus“, „sitis“ occurrunt non amplius ter, „sim“, „sis“, „sit“, „sint“ ducenties vicies semel! (Cf. Stangium, p. 13.)

4) Cetera verba composita, quod sciam, illas formas coniunctivi vel potius optativi non praebent, praeterquam quod „absiet“ in Catonis libro de agricultura scriptum est c. 19, 1 (v. Archiv. f. lat. Lexicogr. VII 145).

(sic B; cet. possim) et Ps. 1114, cuius metrum dubium, distributio incertissima est.

3) Duim, duam; creduim, creduam, creduo, credui; perduim, perduo; interduim, interduo [1]). Apud Plautum fere quinquaginta exempla, quae omnia in fine vel in diaeresi exceptis hisce:

Aul. 672 Dicám; nam quod edit tám duim quam pérduim.
Verborum lusu excusatum; codd. „dium" et „perdium".
Merc. 402 Né duas, neu te ádvexisse díxeris. # Di me ádiuvant.
B Netuas; D (in ras.) Nedes; potuit esse „Ne des neve . . .".
Ps. 937 Tantúm tibi boni di immórtales duint, quántum tu tibi exóptes.
Libri „diunt"; versus est anapaesticus.
Amp. 672 Númquam edepol tu míhi divini quícquam creduís post hunc diem.
Septenarius iusto longior; Goetzius et Loewius om. „edepol tu"; Bothius, Goetzius et Schoellius (in ed. min.) Leoque om. „quicquam"; Ussingius edidit „posthac creduis", bene.
Cp. 728 Ne tu ístunc hominem pérduis. # Curábitur.
et Poen. 740 Diéspiter vos pérduit. # Te quíppini?
in fine orationis.
Praeterea sine ulla excusatione.
Cas. 479 Concrédui, is mihi sé locum dixít dare.

---

1) De his formis et alii egerunt et Roenspiessius, de coniugationis latinae formis apud Terentium earumque origine Thorunii s. a.; Brixius ad Tru. 436. 606; Lorenzius ad Most. 640 (= 655 R.).

Porro Terentius usus est novies talibus verbi dandi formis, numquam non in fine versus, Hecyrae enim v. 134, ubi „perduint“ traditum est in quarto senarii pede, corrigendus est, itaque editores scribi iusserunt aut „perdant“ (Dziatzko) aut „faxint“.

Denique in scaenicorum fragmentis habemus i. f. apud Pacuvium, frg. 219 vel 220 „duis“; Turpil. 102 „perduint“.

4) Fuam coniunctivus medio in versu saepius, quam de quibus modo dixi; verum quin saepius in versu exeunte quam medio collocatus sit, non dubitandum: apud Plautum novies fere i. f., quinquies in aliis versus pedibus; apud Terentium semel (Hec. 610), in fragmentis tragicorum ter in clausula traditus (Liv. 23; Enn. 142; Pacuv. 116), comicorum ap. Titin. 33 i. f., Afran. 280 med. in vers. [1]).

5) Danunt: Plautus novies i. f. aut a. d., ter med. in v.: Ps. 767, Pers. 256 (cantic.), R. 1259 (CD ‚danunt‘ contra versum, B dant). In Terentio haec forma nasalis deest, apud ceteros scaenicos bis idque in fine versuum extat.

6) Evenam, evenunt, advenam, pervenam[2]): verbi veniendi formas i littera carentes numquam medio in versu obvias esse iam Brixius ad Tri. 41 observavit, tum

---

1) „Abfuat apud Frontonem, p. 184, 4 N. (v. Arch. f. lat. Lexicogr. VII 145); „afuat“ Lachmannus Lucretio dare haud ausus est, Vergilius autem verbum simplex in Aen. X 108 ante caesuram usurpavit (cf. Wotkium, Stud. Vindobon. VIII 145).

2) Ex „venam“ ortum esse in lingua neogallica „vienne“ Wendelinus Foerster in scholis docuit.

Schultzium [1]) exempla Plautina collegisse scio, sed eius dissertatione uti mihi non licuit. Habemus igitur has formas apud Plautum in fine versuum traditas: Ps. 1030 (BD), Tru. 93 (B), probabili coniectura restitutas i. f.: Cu. 39. 125 (a. d), Ep. 287. 321, Mil. 1010, R. 626, Tru. 41; reiciendae ergo sunt coniecturae v. d. formas trisyllabas in medium versum inferentium, quod iam Lorenzius ad Mo. 382 (= 395 R.) in apparatu critico contendit [2]) — Terentius tales formas evitasse videtur, quae praeter Plautum leguntur (i. f.) in Enn. trg. frg. 170 R.² et ex Ribbeckii coniecturâ apud Pompon. 35.

7) Futurum exactum: Theoph. Meifart „de futuri exacti usu Plautino" Diss. Jenens. 1885 demonstrasse sibi videtur futurum exactum apud Plautum relativam vim nondum habuisse et saepius nullam differentiam esse inter utrumque futurum, nisi quod futurum primum in medio versu poneretur, exactum in fine; in octoginta quinque locis sexaginta tres futuri exacti formas in fine versus habere, aliosque nonnullos [3]) ante caesuram similiter iudicandam. „Cum autem saepius," p. 24 inquit, „in hac sede versus et antiquae et rariores formae a poeta positae sint, ne hanc quidem rem casui tribuendam esse existimo. Immo rariorem futuri formam ita saepius servatam esse conicio, quae se ultro obtulit poetae versus claudenti." Quodsi quinta quaeque forma futuri exacti medio in versu posita est, quattuor in fine vel in diaeresi, similis ratio est earum atque formarum „siem", „sies",

---

1) „De obsoletis coniugationis Plautinae formis Konitz Progr. 1864; v. Ritschelii Prolegom. ad Plautum, index s. v, „evenat".

2) Velut in Leonis editione maiore legimus medio in versu: evenam Ba. 144; Cu. 271; convenam Ba. 348. Quin eodem senarii loco legimus formas quadrisyllabas in iambis incisis: v. CIL VI 23685 (in Buecheleri Anthologia I Nr. 64, 4).

3) Quinque hos esse observavi.

„siet“, „sient“ neque hoc casu factum esse quisquam contendet. Atque hoc quidem maxime considerandum est: aut fallor aut futuri exacti quod dicitur formae primae et secundae personae pluralis non inveniuntur apud Plautum; quod si verum est, eandem causam valuisse necesse est, qua formae „siemus“, „sietis“ desunt litteris latinis [1]). Ut in versibus a Cicerone e poeta quodam scaenico exscriptis (v. supra p. 86, adn. 1) „sint“ et „sient“ nullo discrimine usurpata, nisi quod illud medio in versu, hoc exeunte collocatum est, ita e. c. in Pseud. vv. 332 sq. [2]) nullo alio discrimine futurum I et exactum:

Quíd eo? # Lanios índe accersam dúo cum tintinnábulis
Eádem duo gregés virgarum inde úlmearum adégero.

8) Participia perfecti cum perfecto verbi substantivi coniuncto, ut oblitus fui, vectus fui sim., plerumque in fine versus invenimus, praesertim si „fui“ nullo verbo intercedente participii formam excipit.

9) Verbi „blatire“ forma „blatis“, quae ter apud Plautum extat in fine versus: Amp. 626, Cu. 452, Ep. 334;

---

1) Vide supra p. 86. Ne id quidem sine causa factum esse puto, quoniam futuri primi quod dicunt pluralis personae I et II-ae formas non deesse videmus, sicut „simus“, „sitis“ non desunt, licet sint multo rariores tertiâ personâ singul. et plur. vel primâ secundâque singularis. Cramerus, de perfecti coniunctivi usu potentiali apud priscos scriptores Latinos. Marp. 1886 observavit perfecti coniunctivi primam pluralis ante Rhetor. ad Herenn. scriptam non legi (Deeckius, Bursiani Annal. v. LXXVII p. 277).

2) v. Meiffartium, p. 23.

3) Contra „dedecet“ in poetarum scaenicorum fabulis fabularumque frustis non invenitur, quod sciam; haud aliter, ‚dedecus‘ non legitur nisi rarissime apud Plautum, semel apud Terentium; ergo Rostius erravit, cum in Persa Plautina (v. 220) ‚haut dedecet‘ coniciebat.

neque ante neque post Plautum hoc verbum legitur, ni fallor, nisi apud Tertull. de pall. 2.

10) Verba impersonalia „addecet" et „condecet", quae apud priscos poetas praeter Terentium in usu fuerunt loco verbi simplicis „decet", quod tamen apud Plautum praesenti indicativo haud ita raro extat. Inveni autem „addecet" vel „condecet" apud Plautum i. f. 15-ies, aliis v. locis 5-ies; praeterea in Enn. trg. frg. 257, apud Turpil. frg. 127, Pomponium atell. 72, in Syri sentent. 434, semper in fine senarii vel septenarii trochaici catalectici [1]).

11) „Conspicor" semper in versuum clausula scribi praeter Plaut. Cist. 656 et Ter. Eun. 1062 iam Studemundus, ni fallor, observavit; sed qua de causa hoc factum sit, haud scio.

Tum formulae notissimae, quae compositae sunt

12) ex adverbio quodam et genetivo pluralis „gentium" certam suam sedem habent in fine cretico versuum iambicorum et trochaicorum, nam apud Plautum quidem i. f. extant 24-er, a. d. semel, aliis in pedibus ter: Ps. 402 et 405 inter versus spurios, et R. 824; apud Terentium quinquies i. f., bis med. in v.: Hec. 284. 293; in scaenicorum fragmentis: Acc. 599 i. f. et Enn. trg. 191 R.[2] in quinto troch. pede [2]).

---

1) In Buecheleri Anthologia epigraphica (p. I) semel in tegula Pannonica legitur:

Seném severum sémper esse cóndecet

(Buechel. I Nr. 34 = CIL III p. 962) et in Senecae Oedipi v. 294, item in fine senarii:

Haut té quidem, magnánime, mirari áddecet.

2) Adverbia, quae vocabulo ‚gentium' praecedunt, sunt haec: ubi, ubiubi, ubivis, ubinam; quo, quoquo, quovis; unde; (n)usquam;

13) ex adverbio quodam (saepissime „ubi" et „interea") et genetivo „loci": Plautus 12-ies i. f. vel a. d., quater aliis locis (sed horum quidem bis in clausula, ut una syllaba sequatur); Terentius 5-ies et semel; denique Pacuvius i. f.. Cum „loci" bisyllabum sit, saepius nimirum medio in versu legitur, quam trisyllabum „gentium".

Adiungo adverbia quaedam:

14) „Cottidie" secundum Rassowii indicem Plautinum extat in fine quidem versus As. 864, Aul. pr. 23, Men. 91, Ps. 844, St. 121. 165, Tru. 67; in diaeresi tetrametri iambici bis: Cist. 43 et Ep. 58 (cottídie ípse(e)), praeterea in Rudentis prologi versu 16 (cf. p. 91 ann. 2) et media in fabula R. 295, ubi hoc verbum in nostris codicibus deest, qui talem eum versum inter septenarios iambicos exhibent:

„Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum"

Camerarius in annotationibus: „Principium huius versus", inquit, „oblitteratum erat in nostris libris. Suspicari licet

---

minime. — Quas formulas obseletas fuisse vel inde perspicitur, quod vox, ‚gens' alio casu fere non invenitur, neque apud Plautum neque apud Terentium; nam in Plauto ter tantummodo deprehendi: bis in Rudentis prologo (vv. 1 et 10), quod novum est argumentum quo demonstrari potest prologos non esse totos a Plauto profectos, et Tri. 286 in cantico, ubi offendit quoque vocabulum monosyllabum „gens" in fine versus; in Trinummi senariis iambicis et septenariis trochaicis vicies quinquies fere monosyllaba versus claudentia inveni: duodevicies verbum substantivum, bis verbi ‚velle' forma ‚vis', semel ‚unde dem', bis ‚te', semel ‚se', semel ‚gnate mi' et ‚paullo post' (de hac quidem re iam W. Meyer, Abhandl. der bayer. Akad. XVII p. 46 sqq.). Propterea valde de hoc versu (Tru. 286) dubito, verum nescio, utrum dicam versus aliter disponendos esse an hunc unum versum Plauto abiudicandum et propter ‚hiulcus' adiectivum, quod alioquin non ante Ciceronem extat, et propter sententiam, quae potius aetati Sallustianae convenit.

deesse ‚cotidie' aut ‚Illinc usque' aut ‚nescio quid tale'". ‚Cotidie' initio versus Schoellius recepit nisus Lambini testimonio, qui ex libris veteribus suis hanc lectionem affert. Sed dubitare Gruterum de Lambini testimonio Schoellius in appendice critica Rudentis dicit. Nos cum ‚cottidie' in fine vel in diaeresi versus constanter a Plauto usurpatum viderimus, Lambini testimonium pro nihilo habebimus, nam Lambinus scripturas quasdam egregias ex bono codice excerpsisse videtur, sed eas tamen adeo cum alienigenis excerptis sub vago „veterum librorum" nomine miscuit, ut de nonnullis locis dubii haereamus [1]) — A ceteris poetis iambicis ‚cottidie' iam in omnibus versus pedibus ponitur, velut a Terentio semel in fine v. (Hec. 157), bis med. in v. (Heaut. 102. 423), sed ita ut ante sequentem vocalem trisyllabum fiat; porro trag. inc. 3 R.[2] (i. f.) et Afran. 4 (i. f.); in Publilii Syri sententiis bis medio in versu (97. 103 R.[2]), semel i. f. (app. 32 R.[2]). Unde cum appareat optime medio versui ‚cottidie' convenisse, sequitur Plautum certa de causa fini attribuisse hoc adverbium, quippe quod nescio an ab illo ex vulgari sermone in litteratorum linguam receptum sit.

15) Denuo: apud Plautum semper i. f. aut a. d. [2]), exceptis vv. his: Tri. 804 (in fine enuntiati); Ps. 1277[a] (in cantic.); Poen. pr. 79; apud Terentium in fine praeter Eun. 899.

---

1) Vide Schoellii ad Rudentem praefation. p. XXIII sq. et cf. p. XVI eiusdem praefat., ubi Schoellius suspicatur cum hoc defectu graviorem amplioremque turbam cohaerere. Ceterum Rud. v. 295 ‚cottidie' a. d. inserere possis sic:

Ex úrbe ad mare huc cottídie prodimus pabulátum.

An est tetrameter bacchiacus?

2) A. d. Mo. 223 et Amp. 294 (‚dénuo [4] volt'; est diaeresis trochaica).

16) ‚Acriter' et ‚acrius' semper apud scaenicos i. f., nescio qua de causa; item

17) ‚Rectius', praeter Ter. Ad. 521.

18) ‚Gratiis' et ‚ingratiis': apud Plautum 18-ies i. f. vel a. d., 5-ies m. i. v.[1]), apud Terentium quater et semel; denique apud Pomponium semel i. f.

19) ‚Sat est': Plautus 17-ies i. f. vel a. d.; quater aliis locis; cet. scaenici semper i. f.

20) ‚Extempulo'[2]) apud Plautum numquam non i. f. positum; apud alios traditum non est[3]).

His enumeratis viginti verborum vel locutionum ordinibus quin multa adiungi possint, haud dubium, nam ego eas tantummodo formas attuli, quae aut iam ab aliis v. d. observatae aut a me ipso casu potius quam ratione repertae sunt. Ex quibus quasdam si constat fuisse formas aut obsoletas aut novicias, ceteras quoque aut archaicas fuisse iam saeculo a. Chr. n. II aut nuper in linguam hominum litteratorum receptas ex vulgari sermone conici licet; huic generi fortasse ‚denuo' et ‚cottidie' adnumeranda esse suspicor. Ceterum nonnulla cur tantummodo versum vel exeuntem vel medium clauserint nescio, velut ‚acriter', ‚acrius', ‚rectius'. Quod si erunt qui dicant plurimas formarum nulla de causa in fine positas esse, nisi quod commoditati poetae inservirent, potuisse tamen eodem iure medio in versu collocari, iis hanc ratiocinationem rectam esse in verbis

1) Sed tres sunt canticorum versus.
2) v. Brixium ad Mil. 461.
3) Naev. com. 98 (med. in v.): coniectura illatum.

‚acrius', ‚acriter' sim. diiudicandis concedam, non concedam ad omnes id valere. Nam tum cetera omnia, quae in creticum exeunt, plerumque in fine versus posita occurrerent, quod non ita esse exemplis allatis demonstrabo. Apertum atque manifestum est „arbitror" vel „arbitro" melius versus fini convenire, quam e. g. „siet" bisyllabum. At vero hoc habemus in fine versus vel in diaeresi saepissime (non dubito, quin multo plus centies inveniatur), medio in versu novies vel potius quater (vide supra p. 84 sq.); contra ‚arbitro(r)' tricies fere in fine, in aliis autem pedibus decies, non bis terve, id quod exspectaremus pro illorum verborum ratione. Vel deligam exemplum gravissimum, verba dico quinque syllabarum eaque in epitritum tertium exeuntia, velut „confidentia", „confidentior", „confidentius"! Num hae voces possunt medio in versu occurrere, si ‚cottidie' quadrisyllabum novies apud Plautum i. f., bis (vel potius nunquam) m. i. v. extat? Verum enimvero „confidentia" etc. i. f. vel a. d. decies extat, quater m. i. v. Nemo ergo negabit in ‚cottidie' verbo collocando alias quoque causas valuisse praeter commoditatem.

Atque notum est non solum in poesi iambica quasdam formas formulasque certis sedibus poni; iam supra p. 83 dixi Langium observasse infinitivos in -ier apud poetas dactylicos semper fere in quinto pede occurrere; haud secus „fuat" semel apud Vergilium idque in caesura semiquinaria extare vidimus (v. supra p. 88, adn. 1). Deinde Asmus [1]) observavit in Propertii libri I carminibus quindecim prioribus de 165 nominibus propriis 132 in locis versus insignibus extare (23 in versus initio, 35 in fine, 74 in

---

1) „De appositionis apud Plautum et Terentium collocatione Halis Sax. 1891", p. 27.

caesura). De Plauto ille haec p. 30: „Iusta appositionis (scilic. post nomen proprium) collocatio neglegi potest, si nomen proprium, quod eâ definitur, in fine ordinis metrici, qui saepius cum sententiae incisione convenit, ponitur" [1]. Quod si verum est, habemus exemplum, quo ordo verborum insolens excusatur, si nomen proprium insigni versus loco, maxime i. f., collocatur. Hanc legem ad reliquas quoque appositiones pertinere l. l. p. 30 sqq. exemplis probatur, v. praesertim p. 34.

Sed ex poesi elegiaca aliud exemplum afferre possum, memini enim unum e magistris meis in scholis dixisse „sat est", quod Plautus i. f. ponebat (v. supra Nr. 19), apud poetas elegiacos saepissime in fine partis prioris vel alterius pentametri collocari. Sed revertar ad dactylicos. Ennius poesis dactylicae latinae inventor semper -ai (in prima quae dicitur declinatione) in fine hexametri ponebat [2], qua in re Lucretius eum secutus est [3]. Certam quoque sedem forma archaica „olli" habebat et apud Ennium et apud Vergilium [4], non finem illa quidem, sed initium versus. Quasdam certas formulas vocesque in clausula hexametri ab omnibus poetis inde ab Ennio usque ad Paulum Nolanum iterum atque iterum usurpatas esse fusius Antonius Zingerle [5] docuit.

Denique afferam, quae in litteris germanicis

---

1) Etiam apud Terentium illam „legem" valere p. 30 adn. 1 dicit, nam illos locos, ubi vulgaris appositionis ordo neglectus est, uno excepto „legi" illi respondere.

2) L. Mueller, Q. Ennius Petersburg 1884.

3) Staedlerus, l. l. p. 6.

4) Wotkius, l l. (v. supra p. 83, adn. 2).

5) „Zu späteren lateinischen Dichtern", Heft I. (Innsbruck 1873) p. 44–103; Heft II (Innsbr. 1879) p. 49 sqq.

mihi Weisio [1]) duce observare licuit. Poetarum princeps ille nostrorum, „Fausti“ auctor, in nonnullis carminibus antiquitatem adfectans velut in „Legende vom Hufeisen“, quo melius linguam „legendarum“ redderet, aut in „Hans Sachsens poetische Sendung“, ut illius poetae genus dicendi imitaretur, formas verbave obsoleta adhibuit, sed plerumque in fine versus, ut puta illo in carmine: „auf der Strassen“, „was“ (= „war“) al., in „Hans Sachsens poetische Sendung“: „hie“, „wunniglich“, „ersicht“ (= „ersieht“), „Rucken“ (= „Rücken“), „Narreteiden“, „krumb“, „dumb“, „Fürm“ [2]), „Frauen“ (gen. sing.), „ahndevoll“ al.

Itaque demonstrasse mihi videor omnes formas, quae nisi exeunte versu a poetis scaenicis non ponebantur, aliqua de causa sive inusitatiores fuisse, sive obsoletas, sive novicias. Inde sequitur formas quoque pleniores a perfecto derivatas („v“ litterae ope fictas), utpote quae vel tantummodo vel praesertim in fine versus occurrant, iam Plauti aetate minus apud Romanos in usu fuisse, Terentiana iam prorsus fuisse obsoletas. Nihilo minus poetae semper eas admisere: in Varronis saturarum fragmentis deprehendimus talem formam semel, in Horatii epodis 5-ies, 4-er in fabulis Phaedri, sed apud omnes usquequaque in fine versuum.

I -evi.

a) Naevius.

Com. 136 (Front. ep. p. 27 N.): complevĕrunt.

---

1) In lepido libello, qui inscriptus est „Charakteristik der lateinischen Sprache Leipzig 1891“, adn. 97 et 99 (in p. 133).

2) „Furm“ (= „Form“) verbum, quod Hans Sachs in carminibus suis adhibebat, a Goethio receptum est, qui errore numerum pluralem „Fürm“ habuit pro singulari.

Hoc verbum si vel senarium iamb. vel tetrametrum troch. claudit, brevem paenultimam habet; Ribbeckius nulla causa mutavit in „compleverint".

b) Plautus.

1) Plautus numquam contraxit: flere, sublinere, complere, implere, obserere, spernere:

Aul. 454: implevísti
„ 552: „
Amp. 1016: compleverit (i. f.)
Tri. 530: obseveris (i. f.)
Cp. 656: sublevére
Ps. 100: fléveris.
Ep. 557: obsevistí.
Mil. 1072: sprevistí.

Idem de ‚succrescere' statuendum esse puto, quod Plautus verbum semel scripsit:

Tri. 31 Quasi hérba inrigua súccrevere ubérrume.

„Succrevere", quod iam Scaligeri ingenium invenerat, codice Ambrosiano nunc confirmatum est; ceteri libri habent „succreverunt", quod recipere nemo sane cogitabit. Quaeritur, „succrevere" legendum sit an „succrerunt"; hoc si coniciamus, pessimus efficietur versus, cuius in pede quarto verbi accentus cum ictu versus dissociatus sit in verbo molossico; quamquam non plane deesse videntur tales versus [1]), „succrevere", quod A tradidit, est praeferendum.

2) Incertum est iudicium de verbo „quiescere", quo semel Plautus usus est, in

Pers. vv. 77 sq. Nunc húc intro ibo: vísam hesternas réliquias
Quievenerintne recte necne: num infuerít febris.

1) Cf. Ritschelii Prolegomena ad Trinummum, p. CCXIII sqq.

Hoc omnes codd., nisi quod v. 78 DcFZ „ne" ante „recte" omiserunt. Praeter initium versus alterius omnia sana esse censeo, nam Hauptii [1]) coniectura „afuerit" mihi non necessaria esse videtur; „quievenerint" potest aut ex „quieverint" corruptum esse aut ex „quierint". Illud leges deleto „necne" cum Engelbrechto [2]), si Brixius tibi persuaserit iis, quae ad Mil. 1051 protulit: „Der Sprachgebrauch des Plautus verlangt bei einer indirekten Doppelfrage mit dem Hilfsverb die Wiederholung des ‚sit' "; quod ut probaret, tres versus laudavit: Ep. 322 sq. „sitne quid necne sit Scire cupio"; Ps. 451, ubi A: „sintne illa vera necne, quae tibi renuntiant", cum in recensione Palatina haec fuisse verba constet: „sint illa necne sint, quae tibi renuntiant"; Cas. 572 „adsitne ei animus necne adsit quem advocet" [3]). Nam Ba. v. 400 „sisne necne ut esse oportet" spurium esse dicit. At neque ullo modo hoc evictum est non esse Bacchidum versum a Plauto profectum neque quidquam interesse inter verbum substantivum aliaque verba in enuntiatis interrogativis obliquis censeo; et verbi quidem substantivi repetiti duo tantum exempla certa afferre ille potuit, cum Pseudoli versus optime stare possit, ut in Ambrosiano traditus est. Ceterum ipsum verbum „esse" semel positum in tali enuntiato in Tri. v. 850 „neque natus necne fuerit id solide scio"; aliud verbum non repetitum post „necne" en habes e. g.: Cp. 283 „Núnc vivatne nécne, id Orcum scíre oportet scílicet" (ubi libri „vivat necne"). Optime igitur

---

1) Opusc. III 375.

2) Stud. Vindob. VI 226.

3) Schoellius ut hiatum expellat, versum violentius cum Bothio tractavit „adsitne ei animus quem advocet necne adsiet"; ego Pylade duce sic v. sanare studui: „adsitne ei animus necne adsit <sibi> quem advocet.

„necne" stare potest; quod si delebimus, metri causa hoc faciemus cum Engelbrechto:

„Quiéverintne récte: num" q. s.

Ceterum si aliquod verbum delendum est, potest cogitari de delendo „ne" post „quieverint"; at vero in

„Quiéverint recte nécne"

offendit anapaestus in duo verba diremptus, quem nuper Leo[1]) omnibus exemplis examinatis iure Plauto abiudicavit. Ergo corrigendum est „quierintne" et pronuntiandum aut cum Fleckeiseno[2])

„Quierintne recte nécne"

aut cum Skutschio[3])

„Quĭĕrintne recte nécne"

aut denique deleto „ne" priore cum Ritschelio et C. F. G. Muellero[4])

„Quiérint recte nécne".

3) Certa est contractio verborum: decernere, consuescere, insuescere:

Cu. 703 Sí quidem voltis quód decrero fácere. # Tibi permíttimus.

Cist. 87 Cónsuevisti. # Nísi quidem cum Alcésimarcho, némine.

Cp. 306 Qui ímperare insuéram nunc altríus imperio obsequor.

„altrius" omn. edd. post Ritschelium[5]); codd. „alterius".

---

1) Leo, Plautinische Forschungen, Berlin 1895, p. 236—245.
2) Annal. 1870, p. 74 sqq.
3) „Berlin. phil. Wochenschr." 1892, p. 1615.
4) Prosod. Plaut. additam., p. 30.
5) De „altr-" pro „alter-" cf. e. g. Muelleri Prosod. addit. p. 69, Luchsium in Studemundi Studiis I p. 58 sq.; II p. 361.

† Poen. 612 Fáciunt, scurrae quód consueverunt: póne sese hominés locant (sept. troch.).

Loewius Goetziusque cum Pylade „consuerunt", quod accipiendum est, quoniam lenior emendatio vix se offerat.

† As. 727 Ut cónsuere, hominís Salus frustrátur et Fortúna (sept. j.)

† As. 79 Patrés ut consuerunt: ego mitto omnia haec (sen j.).

Neutrum versum metro satisfacere apparet, nam etiamsi in hoc „egō" iambicum ponamus, caesura tamen deest accentusque offendunt; concedo rem facilem esse ex „consuere" facere „consuevere", ex „consuerunt" consueverunt", attamen nihil mutandum esse contendo, si „consuere" et „consuerunt quadrisyllaba habeantur:

Ut cónsŭére hominés Salus frustrátur et Fortúna
Patrés ut consŭérunt: ego mitto ómnia.

Haud nescio negasse Ritschelium[1]) hoc Plauto licuisse, nam cum verbis quae sunt consŭerunt, sŭavitas in comparationem larŭa et milŭos (milŭinus) vocari non possunt, quae semper trisyllaba apud priscos scriptores fuisse constet. Quod apud dactylicos tales diaereses occurrunt[2]), sine dubio nihil ad scaenicos valet. Verum in iambicis etiam Phaedrus diaeresim admisit, verba causa:

I 2,8 Omne ínsuëtis ónus, et coepissént queri.
III pr. 14 Ut ádsuētam fórtius praestés vicem.

Itaque nihil offensionis habent apud Plautum „consuēre" et „consuērunt".

---

1) Opuscula II p. 581 sqq. (cf. p. 599).
2) Luc. Mueller, De re metrica ed. I, p. 262.

c) Terentius.

1) Terentius non contraxit verbi ‚spernere' formas:
Phorm. 584 sprěverit; Hec. 24 sprěvissem (el.)

2) Terentius contraxit: decernere, insuescere, consuescere, quiescere:
Andr. 219: decrevérunt.
Hec. 212: decrĕrunt.
sic cum Bembino codd. praeter EFG.
Hec. 148: décrerim.
sic A; cet. „decreverim", quod stare non potest, nisi anapaestum (pro iambo) in duo verba distributum poetis iambicis concedamus; vide supra p. 100.
Andr. 238 Uxórem decrerát dare sese mi hódie: nonne opórtuit.
sic BD; decreverat CEGP.
Hec. 555: consuésset.
Ad. 55: insuerít
A „insueverit"; D „insuet"; cet. „insuerit".
Andr. 604: quiéssem.
Andr. 691: quiésset.

d) Afranius.

† frg. 341 R² (Macrob. Sat. VI 4, 12): conquiésse.
Est coni. Ribbeckii, qui adnotavit tribus syllabis pronuntiandum esse; Par. a, Borb. „non quievisse"; cet. codd. „non quiesse".

e) Tragic. inc. inc.

frg. 28 (Senec. epist. 80): quiéris.

f) Horatius.

epod. 6, 9: complestí.
epod. 17, 59: inplerís.

g) Phaedrus.

append. 17, 8: deflessét.

h) Seneca.

Troad. 1060: fléveris.
† Phaedr. 662: nevissét (Etrusc. „nevidisset").
[Herc. Oet. 669: nevére (in anap.); Oed. 419: creveras (in v. sapph.)].

i) Octaviae auctor.

401: assuerånt.

In tanta exemplorum exiguitate vix aliquid certi de omnium verborum, quorum perfectum in -evi exit, usu statuere possumus; hoc autem manifestum est formas a „decrevi" derivatas inde a Plauto contrahi licuisse, a „quiescere", „con-, in-, assuescere" ductas a Terentii temporibus semper contractas esse. — Operae pretium est cum iambicis poetis comparare 1) dactylicos 2) Ciceronem 3) titulos aetatis liberae reipublicae.

De verborum in -evi formis apud poetas dactylicos, ut supra dixi, egit Ludovicus Scheffler, „De perfecti in „vi" exeuntis formis apud poetas latinos dactylicos occurrentibus, Marpurgi 1890" p. 43--49 statuitque perfecta in -evi exeutia servare litteram „v" sequente „r" potius, quam eicere, sed elidere saepius, si sequeretur „s" littera atque usque ad Lucretium quidem poetas semper eiecisse „v" ante sequentem „r", ad Vergilium semper „v" ante „s" („ss"). De singulis autem verbis disserere secundum Schefflerum non possum, hoc autem afferam verbi quiescendi formas et contractas et plenas certas sedes hexametri obtinere (Schefflerus, p. 48).

Si Ciceronis usum comparare vis, vide dissertationem

Eugenii Frohwein, die Perfektbildungen auf -vi bei Cicero, Gera 1874, p. 28 sq.

In Corporis inscriptionum latinarum volumine I bis formas huc pertinentes inveni: in lege Rubria de Gallia Cisalpina, vv. 29 et 39: decreverit.

II -ovi.

A) movi, vovi.

a) Plautus.

Cu. 181: vovísti.
Merc. 311: móvero.
Mo. 932: amóverim (i. f.).
Tri. 784: amóveris (i. f.).
Amp. 468: amóvisse (elis.).
R. 539: movistí [1]).

b) Terentius.

Hec. 434: vovísse.
Andr. 640: promóveris (i. f.).
Hec. 694: amóveris (i. f.)
Phorm. 101: commórat [2]).

c) Turpilius.

30 R² (Non. 278, 1): commórat.

d) Accius.

praetext. 15 (Non. 98, 11): dévoro (elis.) [3]).

---

1) In Ps. v. 109 Servius Danielis in Aen. IV 301 aperto errore attulit „commovissem" (libri Plautini „commovi").

2) Cod. D „commorat" (ve superscr.); corr. D².

3) = devovero: cf. Buechelerum in Mus. Rh. XV 434 sq.; Nonius inepte formam „devoro" pro tempore praesenti verbi „devorare" habuit.

e) Horatius.

epod. 11, 14: promorát.

f) Phaedrus.

4, 26, 28 Unúm promorat víx pedem triclínio.
Sic Muellerus cum N(eapol.); premorat V, promoverat PR.

g) Seneca.

Troad. 1098: móverat.
Thyest. 703: movére.

h) „Octaviae“ auctor.

(776: moverúnt (in anap.)).

Tria inveni verba, quorum perfectum in -ovi exit; eorum tertium „novi“ seorsum tractandum est. Verba simplicia „movi“ et „vovi“ numquam contrahuntur, composita „devovi“, „commovi“, „promovi“ semper, praeter formas in fine versus positas.

Apud dactylicos verbi movendi 121 formae plenae, 15 breves occurrunt; atque breves fere omnes (praeter Ps. Iuvenc. Gen. 1003) non simplicis verbi, sed compositorum „admoveo“, „commoveo“, „removeo“, „amoveo“, „summoveo“ (Scheffierus p. 55 sq. composita a simplicibus non distinxit).

Cicero formas longiores praetulit, nam contractas habet tantum septies easque verbi compositi (v. Frohweinium, p. 31).

B) novi.

α) novisse(m) vel nosse(m).

a) Tituli.

Buech. Anthol. I 24, 3 (CIL III 759): nósse (s. III p. Chr. n.).

b) Plautus.

1) novisse 23-er (et semel in prologo).

novísse: As. 345. 349, Cp. 565. 986, Cu. 233. 342, Ep. 480. 580. 700, Men. 296. 634. 750, Merc. 767, Mil. 40. 430, Mo. 1079, R. 1095. 1098. 1214, Tri. 953.

Amp. pr. 104.

nóvisse (elis.): As. 348, Ep. 599, Tri. 451 [1]).

2) Versus dubii duo, qui sunt in Trinummo:

Tri. 789 sq. Nonne árbitraris éum adulescentem ánuli
Patérni signum nósse? # Etiam tú taces?

Tri. 957 Míhi concrederét, ni me ille / ét ego illum nossem ádprobe.

Qui versus sani essent, si hiatus legitimi essent, nam prior, qui est senarius, hiat in caesura, post quam altera persona loqui incipit, alter in diaeresi septenarii trochaici; cum Plautus „novisse(m)" numquam contraxerit, neminem contra eos dicturum puto, qui in utroque versu formam pleniorem restitui iusserunt: priore „nóvisse" (elis.), altero „nóvissem" (elis.).

3) -nosse bis in prologis:

Men. pr. 20 Non ínternosse pósset quae mammám dabat.

Amp. pr. 142 Nunc ínternosse ut nós possitis fácilius.

c) Terentius.

nósse: Andr. 952, Phorm. 278. 382 (bis) [2]). 388 [3]), Hec. 863, Ad. 648.

---

1) A „Mearúm me rerum nóvisse aequomst ordinem": cet. codd. „rerum me", qua de causa Bentleius „nosse".

2) Bembinus altero loco „noisses" (!).

3) Sic A; cet. „noris".

nosse (sine ictu): Eun. 940.
cognósse: Eun. 967.
cógnosse (el.): Hec. 811.

d) Phaedrus.

nósset: III 13, 4; app. 17, 4.
nossém: I 11, 14.

e) Seneca.

nósse: Ag. 492, Herc. F. 216, Oed. 514. 838, Phaedr. 141.
nossém(que): Troad. 557.
(nósset in cant. sapph.: Med. 652).

Quantum Plautus a ceteris differt! Qui habet 24 (-26)-ies plenam formam, bis tantum contractam eamque in prologis [1]), qui nihil valent ad sermonem Plautinum diiudicandum. Tum autem inde a Terentio ne semel quidem forma plena occurrit, 20-ies contracta, cum et in oratione pedestri et apud poetas dactylicos, licet rarissimae sint, sed non desint formae trisyllabae.

1) In his prologorum versibus (Men. pr. 20 et Amp. pr. 142) non solum infinitivi contracti offendunt, ipsum enim „internoscendi" verbum neque Plautinae neque priscae latinitatis est, nam ante Ciceronis aetatem non invenitur, nisi semel in Pacuvii trag. inc. 371 R.[2] (fragm. in Rhet. ad Herenn. II 23, 36 servatum). Ne hoc quidem argumentum in prologorum poeta definiendo et aetate contemnendum, nam „guttat cavat lapidem": cumulantur indicia ex verborum usu et elocutionis proprietatibus sumpta (v. supra p. 91, adn. 2). Hanc unam dico viam ad prologorum originem definiendam, nam iis rationibus, quibus adhuc plerique v. d. usi sunt, qui disquirebant, utrum necessarii sint prologi ad fabulam intellegendam necne, Plautinone ingenio digni an potius nugatore plebeio, -istâ viâ dico vix unquam certum iudicium in hac quaestione difficillima assequemur.

Poetae dactylici secundum Scheffleri indices (p. 57) „nosse(t)“ exhibent 135-ies, „novisse(t)“ 17-ies.

Cicero plus 130-ies „nosse“, 20-ies „novisse“ (Frohwein, p. 30 sq.).

β) novisti(s) vel nosti(s).

a) Plautus.

1) novisti(s) vicies bis.

novísti(s): Aul. 584, Ba. 837, Cu. 505, Ep. 503, Men. 299. 503. 505. 748, Mil. 428. 922, Poen. 592. 1043. (1044). 1121, R. 1033, Tru. 406.

novisti (el.): Men. 379. 438.

novistí: Aul. 777, Ep. 638, Tri. 905.

2) nosti bis.

Cu. 423 Cape, sígnum nosce. nóstin? # Quidni nóverim?

Men. 294 Culíndrus ego sum: nómen non nosteí meum? [1]

3) Scriptura est incerta in his versibus:

† Aul. 171 Nóvistin hunc senem Eúclionem ex próxumo paupérculum.

Sic codd.; Camerarius et Goetzius ut unam syllabam tollerent, scripserunt „novisti“, Langenus cum Leone „nostin“, quod iam Italus quidam in Parei cod. Palat. VI. Plautus interrogationi quamquam solet „ne“ adiungere [2]), at in Poen. 591 sq. voce actoris exprimi voluit: „hunc vos lenonem Lycum novistis?“, itaque

---

1) Pers. 700 (quem solus A servavit) sic a Schoellio editus: Quid ést tibi nomen? # <Nó>s<ti id> quod ad te<d> áttinet.

Cod. „quod est“. Idem Men. 407 supplevit „quem nósti“, sine ratione.

2) Cf. vv. Ba. 837, Ep. 503, Men. 748, Poen. 1121, Tri. 905, Tru. 406.

hoc versu Camerarii coniecturam lenissimam praeferam, qua plenior forma servatur.

† Tru. 595 Quisquis est. # Dignus est mecastor: nequid est non n o v i s t i obsecro.

Schoellius ut trochaeos fingeret, correxit sic:

Quísquis est. # Dignúst mecastor: néquamst. non n o s t i óbsecro,

sed cum multo probabiliores sint cretici, quos plerique agnovisse sibi visi sunt, „n o v i s t i“ relinquendum est poetae.

† Tru. 726 Te loquar, sed diu taceto: novistin tun hunc Strabacem? # Quidni?

Sic codd. versum funditus depravatum exhibent; quem v. d. emendare nondum potuerunt. Equidem puto tutandam esse formam pleniorem.

b) C a e c i l i u s.

237 sq. (Cic. pro Caelio 16, 37)):

cur alienam ullam mulierem
Ností?

Distributio versuum incerta.

c) T e r e n t i u s.

nósti: Andr. 441, Eun. 345. 351, Heaut. 180. 239, Ad. 177. 573.

nostín: Eun. 405. 563, Phorm. 64, Ad. 780[1]).

cognosti(s): Andr. 586, Hec. 8.

pérnosti (el.): Andr. 503.

† Heaut. 527 Vicínum hunc n o v i s t i n? at quasi is non dítiis.

---

1) „nostin“ errore traditum in plerisque codd. Ad. 577.

„novistin" A, „novisti" B? (sic. Umpfenb. adnot), Fleckeisenus, Wagnerus; „nostin" cet. codd., Umpfenbachius, Dziatzko, Engelbrechtus.

Terentius utrum hoc loco „novisti" an „nostin" scripserit, difficile est diiudicare.

Bis forma „novisti" et tradita est et servanda esse videtur:

† Eun. 328 Novístin? # Quidni? # Is, dum hánc sequor, fit mi óbviam.

Sic A et omnes editores; cet codd. „Nostin", quod Nonius quoque et Donatus in lemmate habent; cum ne Engelbrechtus quidem, qui formam contractam commendavit, hiatum loco iniquissimo exemplis probare potuerit, vereor, ne hoc versu antiquior forma recipienda sit „novistin", ita ut

Heaut. 370 Patrém novisti ad hás res quam sit pérspicax.

A „novisti"; „vi" induxit corr. rec.

d) Turpilius.

13 (Non 116, 9): nósti.

e) Catullus.

22, 1: nósti (choliamb.).

f) Horatius.

epod. 17, 77: nósti.

g) Seneca.

Herc. F. 1191: ností.

„ „ 480: nosti (sine ictu).

Habemus igitur apud Plautum 22—25-ies „novisti(s)“, sed certissimum est eum iam bis hanc formam contraxisse. Terentium 14—15-ies „nosti“ scripsisse, sed bis terve plenam formam servasse modo vidimus. Post eum poetae iambici numquam formam „v“ littera fictam adhibebant.

Poetae dactylici quinquies habent „novisti“ (bis Horatius, qui in epodis scripsit nosti (!), semel Propertus, bis Paulinus Nolanus), sed 36-ies „nosti“ (Schefflerus, p. 57).

Cicero (Frohweinius, p. 29) ca 100-ies „nosti“, 19-ies „novisti“, at hanc quidem formam numquam in epistulis.

γ) no(ve)rim, no(ve)ro, no(ve)ram, no(ve)runt.

a) Tituli.

Buech. I 214, 1 (= CIL V 8974):
⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ noverás, quaeso (cholj.).
Buech. I 64, 3 (= CIL VI 23685): cognórunt (sen.).
„ I 72, 2 (= Notiz. d. scavi 1888, p. 531): <cogno>runt (sen.)

b) Plautus.

1) Formâ plenâ duodetricies.

α) in fine versus: Ba. 678, Cp. 459. 511. 542, Cu. 341. 423, Ep. 550, Men. 299. 499. 503, Mil. 575, Pers. 261, Poen. 744. 877. 1117. 1335. 1384, Ps. 973, R. 730.

β) ante diaer. tetr. (quater): Mil. 923, Tri. 913, Tru. 163. 164.

γ) in aliis versus locis (quinquies): As. 344, Cu. 391, Men. 337, Mil. 925, Tri. 952 [1]).

1) „Noverisne“ codd.; „norisne“ (vel „norin“) Guyetus, Reizius, Spengelius, Muellerus.

2) Forma brevis exstat septies (atque semel in Casinae prologo):

Poen. 874 Vérum enim qui homo eum nórit, <nimium> cíto homo pervortí potest.

Pers. 132 Me ut quísquam norit, nísi ille qui praebét cibum.

Vid. frg. 57 G. Seú quem norim qui ádvocatus ádsit: iam hunc noví locum.

Ba. 276 Quin tu aúdi. # Immo ingenium ávidi haud pernoram hóspitis.

Poen. 1386 Verum étiam furacem <áiunt> qui nórúnt magis.

Pers. 516 Quaé istaec lucrificást Fortuna? # Ístas, quae norúnt, roga[1].

Tr. 1141 Quem égo nec qui esset nóram neque eum ante úsquam conspexí prius.

Sic codd., rectissime, puto; Ritschelius eoque duce Schoellius scripsere „noveram neque usquam", nescio qua causa commoti; nam Ritschelium si forma contracta offendit (quo de vide eius adn. ad Tri. 952), Schoellius haud nesciebat licuisse Plauto eam usurpare; sin pronomen demonstrativum repetitum post relativum minus illis placuit, videant Brixium ad. Cp. 555 sin quem pleonasmus „ante . . . prius" offendit, conferat cum multos alios versus, tum hos:

Cp. 44 saepe in multis locis,

Amp. 808 in eodem lecto tecum una,

Cp. 328 multa multis saepe suasit,

Aul. 70 decies die uno saepe extrudit aedibus. —

1) Engelbrechtus, p. 229 „noverunt" legere vult, ut hiatum in diaeresi evitet; at hoc levissimum hiatus genus iustum habendum est.

Cas. pr. 15 Nam iúniorum quí sunt non norúnt, scio.

3) „Noveram" mutatum est in „noram ab editoribus in † R. v. 956b Norám dominum id cui fíebat,

qui est dimeter anapaesticus. Equidem tantam duritiem tolerandam esse in anapaestis censeo, cum tales versus comparo, velut:

Tri. 835 Ita iám quasi canes, haud sécus circumstabánt navem turbínes venti,

aliosve a Klotzio (Metr. p. 59 sq.) prolatos. Qua de causa legas cum libris:

Novérăm dominum id cui fíebat.

c) Ennius.

Eumen. frg. 133 (Non. 475, 1): nóveris (i. f.).

d) Terentius.

1) Formâ plenâ:

α) i. f.: Andr. 10, Heaut. 153, Phorm. 390, Hec. 155. 439, Adn. 573.

β) aliis versus locis:

Eun. 778 Egone? ímperatorís virtutem nóveram et vim mílitum.

Heaut. 248 Aúrum, vestem: et vésperascit, ét non noverúnt viam.

2) Formâ contractâ:

(cog)nórim (nóram): Andr. 10. 489. 502. 652, Eun. 566, 698. 933[1]), Heaut. 1059[2]), Phorm.

1) DE „cognoverit".
2) AE „cognoveris".

265 (bis)[1]. 362. 384. 391. 941, (Hec. 791)[2], Ad. 465.

nórim (etc.): Andr. 914, Eun. 511, Heaut. 889, Phorm. 804. 805.

norim (sine ictu): Andr. 934.

nórimus: Ad. 271.

e) Lucilius.

l. XXIX 723 Lachm. (= 632 Bachr.):

cum cognoveris, vitam sine cura exigas.

Sic Nonii (291, 18) codd.; Lachmannus ne in duos versus fragmentum dirimeret, edidit „cognoris". Baehrensius coniecturâ lepidum senarium hunc effecit:

Cum té cognoris, vitam sine cura exigas.

At mutandi necessitatem evitabimus, si verba tradita sic distribuamus:

⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ cum cognóveris,
Vítam sine cura éxigas ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –[3].

f) Pomponius.

167 (Non. 275, 24 et 469, 20): cognórint.

g) Cicero.

Tusc. I 18, 41: nórit.

h) Phaedrus.

3, 17: nóverit; 3, 10, 58: cognóveris; 4, 5, 28: nóverat, omnia in versuum fine.

---

1) Altero loco DE „noveris".
2) Codd. „cognoverint".
3) Nonius eodem modo finem alterius versus una cum initio sequentis laudavit in Lucilii vv. 672 sq., 595 sq., 734 sq., 919 sq. Lachm.

i) Seneca.

1) Plenâ formâ (in medio senario):
Oed. 272, Med. 128, Troad. 693: nóverit, novére (bis).

2) Formâ contractâ:
nórat: Oed. 396, Phaedr. 531.
norúnt: Phaedr. 1212.
(praeterea in anap.: Med. 334 (nórat), Med. 309 (norát), Oed. 749 norínt).

k) „Octaviae“ auctor.

400: nórant.

Itaque videmus utramque huius verbi formam in coniunctivo perf., indicativo plusquamperf., 3 pers. plur. indicativi perf., futuro exacto viguisse a Plauto ad Senecam:

Plautus 28 (-29)-ies: nover-
7 (-8)-ies: nor- (qua de causa non dubitavi hanc formam in Tri. v. 1141 Plauto revindicare).
Terentius 8-ies: nover-
22-ies: nor-
Seneca 3-r: nover- (in medio senario!)
3 (-6)-ies: nor-

In poesi quoque hexametrica utrasque formas in usu fuisse ex Schefflero, p. 57 sqq. perspicias; item apud Ciceronem ex Frohweinii tabellis collegi 99 exempla formae contractae, 63 -plenae.

In inscriptionibus bis forma plena extat „noverit“ in lege Acilia repetundarum, „cognoverunt“ in Sententiae Minuciorum v. 2.

Uno verbo complectar, quae de verbi „nosse“ usu apud poetas iambicos invenisse mihi videor:

Prioris quem p. 79 statui ordinis semper in usu fuerunt formae plenae, sed iam Plautus breves admisit.

Alterius ordinis formae numquam fere contrahuntur in Plauti fabulis, semper apud ceteros poetas.

Multum ergo inter iambicos et dactylicos interest, nam hi formas plenas neutrius ordinis reformidabant.

III -avi.

A) -a(vi)sse(m).

a) Tituli.

Buech. I 46 (CIL IV 1884): cenásse.
„ I 204 (CIL VI 15225): aedíficassém.

b) Plautus.

1) Forma plena tradita est 13 vel 15-ies:
-avísse(m): Ba. 433, Cp. 688, Ep. 509, Merc. 482, Mo. 1139 [1]), St. 412, Tri. 1127 [2]), Tru. 484.
Merc. pr. 70.
-ávisse (elis.): Aul. 738, Mil. 726.
-avissém: Amp. 746, Mil. 733, Tri. 176.
Merc. pr. 67.

---

1) Codd. „peccavisse“, quod Ritschelius praeter necessitatem mutavit in „potavisse“.

2) Est hic versus:
Nam éxaedificavisset me, ex hisce aédibus absquetó foret,
in quo plerosque dactylus pro trochaeo („aedibus“) offendit; at Plautum quintum ut primum trochaeorum pedem dactylo explere non veritum esse versus tales docent: Mil. 721 $\overset{5}{\text{e}}$brius, Men. 386 $\overset{1}{\text{a}}$ccipe, Ba. 411 $\overset{5}{\text{p}}$erdidit, Ba. 981 $\overset{1}{\text{o}}$ptumus, al (praeterea nomen proprium Pers. 14). — Ceterum vide nunc Leonem (Plautin. Forsch. p. 242 sq.) de quinto pede disputantem.

2) Saepius occurrit brevior forma: 18(-20)-ies:

-ásse(m): Amp. 207 [1]), Aul. 828, Cist. 241, Cu. 343, Men. 616. 885, Merc. 694, Mil. 1224, Mo. 175. 243. 244, Tri. 666. 667. 927, Tru. 842. Amp. pr. 83, Merc. pr. 76.

-assém: Ba. 564, Cist. 241, St. 590.

-asse (elis.): Mo. 1139, Tri. 956 [2]).

3) In his qui sequuntur versibus libri aut inter se discrepant aut falsa praebent:

† Mo. 975 sqq.: Ét postquam eius hínc pater
Sít profectus péregre, perpotásse adsiduo, ác simul
Tuó cum domino?

Sic A, ubi versu 976 om. „ac simul" BCD. Ritschelius Lorenziusque „tum perpotasse hic simul", sed equidem primum „ac" tolerari posse existimo, si verba „ac simul tuo cum domino" vel pro additamento quaeritantis vel altera quaestione habeamus; deinde, cum particulâ „tum" ad conectendum enuntiatum primarium opus non sit, versum lenissimâ coniecturâ sanare studui sic:

Sít profectus péregre, perpotávisse adsiduo, ác simul
Tuó cum domino?

Hanc lenissimam medelam appellavi: nam librariis usitatum fuisse observavi pro plenis a perfecto derivatis verborum formis contractas inferre; posterior inde a Livio aetas unam fere amplexabatur formam brevem in altero ordine meo,

1) Amp. v. 210 B. 7 detruncatum tradiderunt „expugnasse", ubi Nonius verum exhibet „expugnassere".

2) Nescio an liceat „cavisse" Ba. 1017 cum Spengelio (T. M. Plautus, p. 95) et Leone bisyllabum legi.

. e. in coni. plsqprf., inf. perf., 2 pers. indic. perf. [1]). Cf. e. g. vv. Tri. 790. 957 et vide quae mox de Mo. 760 dicam.

† Ep. 427 sq. Ego si ádlegassem áliquem ad hoc negótium
Minus hóminem quam doctum minusque ad hanc rem cállidum.

Sic codd., nisi quod omnes habent „alligassem“; Goetzius in edit. mai. ut v. 427 hiatum expelleret „hominem“ ex v. 428 in priorem transposuit et v. 428 „hunc“ post „quām“ inseruit. Has rationes violentiores esse et ipse et Schoellius in editione a. 1895 senserunt, nam sic hos versus imprimendos curaverunt:

Egó si adlegassem áliquem ad hoc negótium
Minus hóminem [quam] doctum mínusque ad hanc rem cállidum.

Versum alterum iam ipse cum Camerario ita emendabam, nolebam enim, ut duriorem verborum collocationem evitarem („minus hominem doctum“), scribere „minús doctum hominem“. Priorem vero versum redintegrasse mihi videbar eadem ratione, qua modo Mostellariae versum 976:

Ego si ádlegavissem áliquem ad hoc negótium [2]),

quam rationem ne nunc quidem falsam habeo, nam prosodia iambica „egō“ praesertim in pede senariorum primo dubitationem habet; in Bacchidum enim versu 196:

---

1) Cf. infra.

2) Verborum accentus cum metro dissociatus si quem offendat, exscribam illi e. g. hos tres versus:

Mil. 495 Meam lúdificavisti hóspitam ante aedés modo.
„ 510 Tum quód tractavisti hóspitam ante eadés meas.
Cu. 18 Et héri cenavistíne? # Deridésne me?

Egón ut quod ab illo áttigisset núntius

„ego" particulâ „ne" auctum est, Cistellariae autem versus 559 et Mil. v. 1379 et Ep. 390 ne hac quidem prosodia recepta sanantur.

† Mo. 760 Nam síbi laudasse hásce ait architéctonem.

Sic Palatini cum hiatu, quem Lorenzius in caesura semiquinaria legitimum esse putavit; sed quod iam Bothius et Ritschelius coniecerant „laudavisse", nunc et Studemundi et Schoellii opera in Ambrosianae codice rescripto olim fuisse constat; cuius in laciniis uterque haec legit:

nam . . bi land . . . ss . . . thas . . . . tonem,

quibus e litteris hunc versum reconcinnare possumus:

Nam síbi laudavisse áit has architectonem.

Ceterum Plautus scripseritne „ait has (vel hasce)" an „has (hasce)ait", id incertum est.

† Tru. 140 Si rém servassem, fúit ubi negótiosus éssem.

Sic invito animo cum BCD scribo, qnamquam A formam priscam Plauto usitatiorem „servavissem" praebet; nam nescio quomodo et formam plenam, quam librarius vix ex suo ingenio scripserit, tueri et accentum molestum evitare possim.

† Tru. 390 Verum ádsimulasse me ésse praegnatem haúd nego.

Sic A; „adsimulavi" BCD; Schoellius edid. „adsimulasse".

† Merc. 894 „commostrasset"; corrupta codicum scriptura abeditoribus correcta in „commostras".

† Mo. 974 „destinasse“ et Cist. 290 „vigilasse“ sunt formae coniecturâ illatae, ille a Ritschelio, haec ab Ussingio [1]).

c) Ennius.

† trg. 174 (Non. 153, 28): necásset (codd. „necassat“).
† sat. 33 V. (= 479, 2 Baehr.; ap. Gell. XIX 2,7): frustrásse coni. Baehrensii; codd. „frustra esse“.

d) Pacuvius.

40 (Sueton. Caes. 84): servásse.
403 (Charis. p. 63, 20 K. et Prisc. VI p. 209, 19 H.):
Filios sibi procreasse eundem per Calypsonem autumant.
Ribbeckius transponendo senarios effecit:
eundem fílios
Sibi prócreasse pér Calipsonem aútumant.

e) Caecilius.

198 (Gell. XV 15 et Non. 370, 14): nuntiásse.
† 140 (Non. 334, 9): codd. „limassés“ vel „limassét“; Ribbeckius recte mutavit in „limassis“.

f) Terentius.

1) -avisse(m): numquam.
2) -asse(m): vicies semel.
-ásse(m): Andr. 112. 796, Eun. 672. 827. 982, Heaut. 17. 23. 978, Phorm. 20. 190. 327. 369, Hec. 147. 227. 483. 557. 657, Ad. 211. 630.
‿asse (el.): Ad. 630.
-assés: Andr. 648.

---

1) Paul. Fest. p. 45, 8 M. (= Plaut. frg. 111 G.): „Catulinam carnem esitavisse, hoc est comedisse, Romanos Plautus in Saturione refert.“

g) Accius.

17 (Non. 396, 31): peccásse.

† 23/24 (Non. 89, 25 et Serv. Dan. ad Aen. IV 641): adcelerásse. Nonii codd. „adcelebrasse"; Serv. codd. (non quod Ribb. adnotavit „adcelerasse decet", sed:) „adcelerate" (om. „decet").

52 (Non. 341, 25): mactassét.

53 (Non. 85, 14): comitassét.

† 267 (Non. 154, 1): pigrásse . . . . properásse.

h) Lucilius.

566 L. (= 496 Baehr.; ap. Non. 165, 13): repedásse.

734 L. (= 636 B.; ap. Non. 74, 10): advocásse.

611 L. (= 505 B.; ap. Non. 394, 28): siccassém.

i) Afranius.

17 (Non. 97, 29): degulásse [1].

k) Novius.

53/4 (Non. 474, 4): percontássem.

100 (Non. 512, 3): vigilásse.

l) Varro.

Sat. Men. 45, 1 Buech. (Non. 530, 18): ignorásse.

m) Cicero.

Tusc. III 28, 67 (= Baehrens. F. P. R. 42):

Si míhi nunc tristis prímum inluxissét dies
Nec tam aérumnoso navigassém salo.

---

1) Afrán. 152 (Non. 498, 15): „privares" vel „privasses" ex coniectura Ribbeckii.

Versum alterum cum, sicut in libris extat, pronuntiari non possit unaque syllaba desit, editores sanare studuerunt conicientes „navigavissem". Quod falsum esse exempla a nobis collecta docent, nam inde ab Ennii Terentiique aetate poetas in iambis coniunctivi plusquamperfecti et infinitivi perfecti formas semper contraxisse vidimus. Ciceronem in pedestri oratione haud raro plenis inf. perf. formis usum esse [1]) non multum ad Ciceronis poetae rationes definiendas valet. Tum, si Euripidis fragmentum a Galeno vol. V p. 418 sq. K. servatum (= Nauckii Eurip. frgm. ed. II Lips. 1885, frg. 818), quod a Cicerone latine redditum est, conferamus:

εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν,

mirabimur Ciceronem nullo verbo laborum longitudinem expressisse, nam hoc gravissimum est hominem illum iam diu navigasse (cf. v. 1 „primum"). Fortasse sic versum redintegrabimus:

nec tám diu navigássem aerumnosó salo.

„Diu" monosyllabum apud iambicos habes haud raro, velut:

Pl. Per. 822 Iám diu fáctumst . . . . .
„ Per. 849 Iám diu saépe . . . . .
„ Mil. 628 . . . tíbi diu vídeor.
„ St. 2a . . . tám diu vídua.
„ Tri. 65 . . . út diu vívitur.

Tum in titulo iambico CIL I 1431 (= Buech. Anth. I Nr. 119):

Cum diu ámbulareis, támen hoc veniundúm est tibi.

1) Cf. Frohwein, Die Perfektbildungen auf -vi bei Cicero, p. 27.

Deinde habes in „diutius" secundam syllabam brevem (aut certe totum verbum quattuor moras explens) in **P h a e d r i** versu (I 2, 16).

Hoc mérsum limo cúm iaceret d í u t i u s.

Denique cf. „d u dum" ex „d i u dum" ortum [1]).

n) H o r a t i u s.

epod. 17, 20: ditásse.

o) P h a e d r u s.

1) -avisse(m): 0
2) -asse(m): vicies
   -ásse(m): I 2, 21; 17, 3; 19, 3; 26, 4; 26, 7; III 9, 1; 10, 49; IV pr. 1; 7, 9; 16, 2; 17, 1; V 4, 1; append. 9, 4; 11, 9; 12, 6.
   -assém: I 10, 7; 31, 4; III 13, 17; IV 12, 4; 17, 3.

p) S e n e c a.

1) -avisse(m): 0.
2) -asse(m): sedecies.
   -ásse(m): Ag. 243. 545. 580; Herc. F. 63; Herc. O. 851; Med. 228. 243. 913. 914; Phaedr. 520; Phoen. 515. 518. (Oed. 179 in anap.).
   -assém: Ag. 209; Herc. O. 1192; Phaedr. 661; Th. 724.

q) „O c t a v i a e" a u c t o r.

708: celebrásse; 637: lacerassént; (767: portásse in anap.).

---

1) Vide L. Mueller, De re metr.[2] p. 431 sq. et Fleckeisenum, Nov. Annal. v. CI (1870), p. 69 sqq.; ceterum Fleckeisenum recte Plauto quidem „diŭtius" abiudicavisse putandum est, praeter Tri. v. 685, ubi „diutius" trisyllabum est; v. Schoellii ed. Tri. 685 append.

Summa: Plautus avisse(m) 13(-18)-ies.
asse(m) 18(-21)-ies.

Ceteri omnes inde ab Ennio semper: asse(m).

Dactylici (Schefflerus, p. 38 sq.) decies quater -avisse(m), saepissime -asse(m) (verbi sternendi rationem non habui).

Apud Ciceronem (Frohweinius, p. 21 sqq.) quinta quaeque forma est plena.

Apud Caesarem (Frohweinius, p. 27 adn. 2) 45-ies -asse(m), 27-ies -avisse(m).

Tituli: in S. C. de Bacanalibus v. 13 „conioura[se]", in lege Julia Municipali v. 121 „accusasse".

Plurimum igitur interest inter sermonem poetarum iambicorum et orationem pedestrem, nam apud Caesarem tertia quaeque forma est plena.

B) a(vi)sti(s).

a) tituli.

Buech. 102, 2 (CIL XI 117): levástis.
„ 103 C, 4 (CIL V 5701): amásti.
„ 178 (Hettner, Monum. lap. Trev. 84, 168): [neg]ásti.
(verba ad similitudinem iamb. composita).

b) Livius Andronicus.

trag. 7 (Non. 132, 32 et 386, 23): laetavísti.

c) Naevius.

com. 133 (Paul. Fest. p. 62 M.): concipilavisti.

d) Plautus.

1) -avisti(s): quadragies semel.

-avisti(s): Amp. 717. 735. 767. 800. 804, frg. 11 (Non. 105), Cp. 672, Ep. 472, Men. 783. 1065, Mil. 17. 506, Mo. 438. 918, Per. 795. 798, Poen. 361. 1239, Ps. 352, St. 656, Tri. 648, Tru. 167, Vidul. frg. 70 G.

-ávisti (elis.): Ba. 167. 726 [1]), Cp. 515. 717, Cas. 358. 993, Mil. 495. 510, Pers. 829.

-avistí (enclis.): Cp. 672 [2]), Cu. 18.

-avisti: Cp. 445, Merc. 163. 736, Poen. 416, Ps. 354. 367.

-avistí aut ávisti (el.): Vidul. frg. 84 G.

2) -asti(s): vicies quater.

-ásti(s): Amp. 304, As. 253. 721, Ba. 121. 195. 677. 727, Cp. 677. 929, Cu. 254. 549. 718, Men. 822. 823, Mil. 1269, Mo. 183, Per. 321. 528, Poen. 562, Tri. 136. 1014, Vidul. frg. 27 G.

Cas. pr. 14.

-astí: Ep. 493 (versu corrupto).

3) Reliqui versus seorsus tractandi sunt:

† Aul. 268 Úbi tu 's quae debláteravisti iám vicinis ómnibus.

Sic recte cum Lipsiensi F. Guyetus omnesque edd.; „deblatravisti“ J; „deblattavisti“ BDV², sed Nonius (p. 43, 12) et Osbernus (p. 68) et Aldina „deblaterasti“.

† Merc. 481 Túte heri ipsus míhi narrasti. # Sátin ut oblitús fui.

Sic B; „narravisti“ A; omis. rel. codd. Formam antiquam codice antiquissimo traditam tutari cum nulla ratione

1) Cf. Leonis editionem.
2) Nonius 95, 7: -asti.

possimus, cum editoribus novissimis omnibus veteris codicis lectionem recipimus.

† Cp. 704 Votăvísti. # Quor es aúsus mentirí mihi?

„Votavisti", quod in omnibus codicibus traditum est, omnes editores post Pareum in formam usitatam „votuisti" correxerunt. Perfectum inauditum fere „vetavi" vel „votavi" non vereor accipere, praesertim cum etiam praeter hunc versum et praecedentem („Votu inte" B¹EV¹, „Votavin te" JV², „Vetavin te" F) in litteris latinis eius vestigia extent [1]). Nostro sane versu hoc perfectum stare potest, nam persuasum habeo ante ictum metricum non solum in versibus anapaesticis syllabas naturâ longas esse correptas, sed etiam in trochaicis iambicisve, velut [2]):

St. 107 Quíd istuc est, quod hŭc éxquaesitum múlierum morés venis?

Poen. 1171 Ut haec ínveniantur hódie esse huius fíliae.

Pers. 645 Haéc erit bonŏ génere nata: níl scit nisi verúm loqui.

Mil. 362 Erĭ cóncubinast haéc quidem. # Mihi quóque pol ita vidétur [3]).

Ep. 405 Pudĭcítiam quisquam suáe servare fíliae [4]).

---

1) Quin Persio illam formam dare Buechelerus ausus est: sat. V 90 Excepto si quid Masuri rubrica vetavit.

(ubi Heinrichius correxerat „vetabit"). Equidem non casu accidisse puto, quod forma volgaris versum claudit; ceterum „vetavi" non solum in „Vulgata" aliquoties occurrit, sed etiam apud Servium in Aen. II 201.

2) Omitto exemplum illud Terentianum: Phorm. 902 „verĕbámini".

3) Exempla e Brixii ad Trinummum praefatione sumpta (ed. IV-a, p. 17 sq.).

4) Cf. Muellerum, Pros. Plaut., p. 275 sq.; Goetzius in ed. mai.: „Pudícitiam quis suaé" q. s., idem et Schoellius in ed. minore (a. 1895): „Pudicitiam quisquam suaé" q. s.

Mil. 382 Quid sómniavisti? # Ego eloquar; sed amábo advortite ánimum.

Sic libri cum A; „somniasti" Camerarius (ed. alt.) et Ritschelius in contextu; ut „somniavisti" servarent, deleverunt „ego" Ritschelius in annot., Ribbeckius, Brixius [1]). Equidem omnia sana esse puto, si „eloquar" antepaenultima brevi patiamur. Talia in syllabis positione longis in usu fuisse non est quod exemplis probem, sed in syllabis quoque natura longis occurrere praeter hunc versum Poen. v. 1078 docet:

Pol istám rem vobis béne ĕvenisse gaúdeo [2]).

Itaque non vereor Militis versum sic pronuntiare:

Quid sómniavisti? # Égo ĕloquar: sed amábo advortite ánimum.

† Ba. 879 sq.? Quid fít? # Ducentis Philippis rem pepigi. # Vah, Salus
Mea servasti me. quam mox dico „dabo".

Sic libri verba inter duos versus distribuerunt, dirimentes „Salus // mea" et numeros disturbantes; quos restituemus aut si „Sălus" [3]) in versus 880 initio ponamus et in fine versus 879 pro „vah" scribamus „vaha" [4]) (Goetzius, edit. mai.), aut si v. 879 pro „vah" scribamus, „ah" (Bothius, Ussingius,

1) „Eloquar" triciens sine „ego" apud Plautum occurrere Brixius in Langeni symbolis censendis (Fleckeis. Ann. v. 123, a. 1881, p. 54) observavit.

2) Muellerus, Prosod., p. 390: „bene vertisse", quod Goetzius Loewiusque in contextum receperunt.

3) Eodem versus loco „salŭs" legitur As. 656:

Sălŭs interioris córporis amórisque imperátor.

4) Paul. Richter, de usu particularum exclamativarum apud priscos scriptores latinos (in Studemundi Studiis in prisc. script. lat. coll. v. I) p. 635 dicit de „vaha" et „vah": „hac non illa (i. e. „vah" non „vaha") Plautum et Terentium usos esse constat cum metro, quod nullo loco bisyllabam certo requirit, tum librorum memoria."

Leo), versu autem 880 vel formam plenam „servavisti“ inferamus (Bothius, Hermannus, Ritschelius, Fleckeisenus, Leo, Goetzius Schoelliusque in ed. min.) vel nihil mutantes „mea“ pro iambo habeamus („meă“), quod ego probare studebo. Nam unâ litterâ „v“ expuncta lego:

Quid fít. # Ducentis Phílippis rem pepigi. # Ah, Salus
Meă servasti mé. quam mox dico „dabó“.

„Ah“ ab omnibus librariis perperam in „vah“ mutatum est Terent. Heaut 857 et Ad. 405, ab omnibus praeter Bembinum Heaut. 397 [1]).

De verbis „Salus // mea“ in duo versus distributis fatendum quidem est Plautum non solitum esse verba artissimis vinculis coniuncta diiungere, attamen bis ille substantivum in versus fine posuit, „mea“ in sequentis initio:

Mil. 542 sq. Inscitiae
Meae ét stultitiae ignoras.

R. 742 sq. O fília
Méa, quom hanc video meárum me absens
míseriarum cómmones [2]).

Poen. 191/2 Oculós volo
Meos délectare múnditiis meretríciis.

Tr. 1100/1 Thensaúrum effodiebam, íntus dotem fíliae
Tuae quaé daretur.

Talia exempla Appuhnium [3]) impulerunt, ut haec dice-

1) Cf. Richterum, l. l. p. 641 sq.; „ah“ melius huic loco convenire, quam „vah“ ex eodem libro intelleges; vide p. 401 („ah“ septies octiesve interiectio laetantis) et p. 640 („vah“ semel apud Terentium laetitiam loquentis exprimit).

2) Richterus, p. 640 adn.

3) G. Appuhn, Quaestiones Plautinae: quae rationes inter versus singulos sententiasque intercedant Plauti exemplo comprobatur. Diss. Marpurg. 1893, p. 63.

ret: „possumus constituere Plautum in vocibus „meus, tuus, suus“ per versus finem a positivis separandis fere quidvis sibi indulsisse. Atque hoc sane mirandum est; nam, ut infra videbimus, in reliquis adiectivis seiungendis fuit cautissimus.“ Simillimo Rudentis versu probatur in Ba. vv. 879 sq. non offendendum esse in pronomine „mea“ a „Salus“ disiuncto. At altera restat offensio: lego enim iambicum „meā“ initio versus 880. Constat nominativum primae quam dicunt grammatici declinationis antiquitus ultimam syllabam longam habuisse [1]). Et quamquam correptio a pronominibus, adiectivis, vocibus encliticis initium cepisse videtur [2]), inveni tamen aliquot pronomina iambica in Plauti fabulis, ut:

As. 768 Vocét convivam néminem illā: tú voces.

(ubi iambum in quinto pede vix excusare possumus.)

St. 159 Nam illấ me in alvo ménses gestavít decem.

(hoc ab omnibus codd. cum A traditum nemo non mutavit.)

Cu. 80 Eấque extemplo ubi víno has conspersí fores.

Et ipsum „meā“:

Cu. 602 Páter istum meus géstitavit. # At meā matértera [3]).

† Amp. 797 Huíc dedisti, pósthanc rursum óbsignasti clánculum.

Sic omnes [4]) libri, nisi quod „posthac“ habent. — Nisi hiatum in diaeresi patiamur (Goetzius et Schoellius in ed.

1) Buechelerus, De declinatione latina, ed. 2-a, p. 21: „Die weiblichen a-Stämme endigen auf langen Vocal bis zum Ende des sechsten Jahrhunderts“. In Fleckeiseni Annal. v. 87 (1863), p. 336 idem dicit se in genuinis saturniis nullum versum invenisse, qui legi non possit, nisi „a“ correptā.

2) Buechelerus, de declin. p. 21.

3) De „meā“ in baccheis (Cas. 696) taceo.

4) Ritschelius, Nov. excurs. Plaut. p. 44 adn. errore dixisse videtur in cod. vetere „rursus“ exaratum esse.

minore), aut „rursus" scribendumst cum Ritschelio (Nov. exc. 44 adn.), Goetzio (ed. mai.) Leoneque aut „obsignavisti" cum Fleckeiseno.

† As. 910 Ínvocasti. # Écquis currit póllinctorem accérsere.

Hiatus optime „invocavisti" formâ pellitur[1]).

Ep. 130 Quód ad me attinuit, égo curavi. quód mandasti mihi.

In altera versus parte una syllaba deest, qua de re Goetzius Guyetum secutus „tu" ante „mandasti" supplevit; sed iam Bentleius formam restituit pleniorem „mandavisti", cui ut assentiar tribus commoveor causis. Primum iam saepe vidimus librarios formâ priscâ pulsâ contractam in Plauti versus intulisse; tum, sententia sine dubio „tu" pronomen non desiderat, quamquam Plautum saepe „ego", „tu", „vos", „nos" verbo finito adiecisse scimus, ubi Cicero omisisset, sed id, quod gravissimum mihi esse videtur: semper Plautus si 2 personam perf. indic. contractam adhibuit, accentum in paenultima posuit: -ásti(s); vide quas in p. 125 attuli 24 formas: nunquam in iis ictus metricus in syllaba ultima positus est uno excepto Epidici versu 493, qui corruptus est[2]). Itaque versum sic lego:

Quód ad me attinuit, égo curavi. quód mandavistí mihi[3]).

---

1) Engelbrechtus, p. 223 (et Goetzius-Schoellius) vix recte hiatum personarum mutatione excusavit (v. Ritschelii proleg. in Trin., p. CLXXXIX).

2) Hic versus vel sic emendari potest:
Eugae, eúgae, Epidice frúgi's: pugnasti óptume.
optume] homo es codd.; „bene" Goetzius (in ed. I-a) exempli causa.

3) In editione Teubneriana a. 1895 ita restitutus legitur.

† Pers. 222 Óffirmasti óccultare, quó te immittas, péssume?

Sic codd. cum hiatu; Camerarius „offirmastin“, quod omnibus probavit praeter Schoellium, qui initio versus „Quid tu?“ supplevit violenter. Ego versum sic reconcinnare malim:

Óffirmavisti óccultare, quó te immittas, péssume?

† St. 576 Quín vocasti hóminem ad cenam? # Né quid adveniens pérderem.

Ritschelius edidit:

Quín vocasti hominem ád te ad cenam? # Né quid adveniens pérderem.

Equidem Bothii coniecturam probo, qui scripsit:

Quín vocavisti hóminem ad cenam? # Né quid adveniens pérderem.

† Tri. 137 Ille quí mandavit, éum exturbasti ex aédibus?

Sic codd.; Ritschelius[1]) probante Schoellio expunxit „eum“; Fleckeisenus[2]) delevit „ex“ et pro „exturbasti“ proposuit „exturbavisti“. Sed Plautus utrumque dicit: „exturbare, extrudere aedibus“[3]) et „exturbare vel extrudere ex aedibus“[4]). Niemeyerus, qui editionem quartam Brixianam curabat, omnium optimam rationem inisse mihi videtur, nam

1) In praefatione ad Stichum, p. XXVI.

2) Iahnii Ann. phil. vol. 61 (a. 1851), p. 36.

3) Tri. 805: exturba aedibus; Aul. 70: extrudit aedibus; R. 1046: extrudat aedibus.

4) Cas. 776: extrudere ex aedibus; Aul. 44: extrusisti ex aedibus; Tri. 601: exturbavit ex nostris aedibus (legendum „exturbât“).

nihil mutavit et verbi „exturbasti" syllabam primam correptam habuit[1]).

† Poen. 640 Si quíd boni adportástis, habeo grátiam.

Sic. A; edd. cum cet. codd. „adportatis"; quidem pro certo contendere non ausim necesse esse tempore praesenti „adportatis" scribi.

† Tru. 369 Benene ámbulatumst? # Húc quidem hercle ad té bene.

Sic Schoellius cum A, recte; cet. libri „ambulasti"; metro et sententiae „ambulavisti" convenit.

Merae coniecturae sunt:

† Ps 1187/8: somniastis (codd. recte „somniatis").

† St 666/7: somniastin.

e) Ennius.

† trg. 231 (Cic. Tusc. IV 32, 69):

Tú me amoris mágis quam honoris sérvavisti grátia.

„Servavisti" Cratandrina; „servasti" libri optimi.

f) Pacuvius.

1) -avisti: 356 (Prisc. IX, p. 469, 7 H.): adplicavistí.

2) -ásti: 239. 329 (bis). 383.

g) Terentius.

1) -avisti semel

Hec. 544 Sed ut ólim te ostendísti, eadem esse níl cessavisti úsque adhuc.

1) Niemeyerus, Praefat. ad Tri. p. 16; Ribbeckius, Trag. fragmenta[2]: Coroll. p. XXX; „ex-" correptum legitur v. c. in Tri. v. 318, ubi Schoellius nulla causa omisit „quid".

Sic recte codd. et edd.; Engelbrechtus, p. 221 nulla ratione hanc formam Terentio abiudicare studuit, nam Pacuvius eadem fere aetate scripsit „adplicavisti". Idem vir doctissimus in iis, quae de accentu „cessávisti" protulit, erravit.

2) -asti(s): vicies septies.
-ásti(s): Andr. 106. 653. 832, Eun. 240. 981, Heaut. 258. 641. 653. 884. 891 [1]), Phorm. 718. 743. 804. 969, Hec. 84. 862, Ad. 236. 686. 763.
-astí(s) (ante ultimum iambum): Andr. 591. 847, Eun. 868, Phorm. 842. 843, Hec. 581, Ad. 764. 774 [2]).

h) Turpilius.

149 (Non. 333, 14): dispoliásti.

i) Accius.

† 61 (Non. 132, 9): excitásti (Mercerius; codd. „hesitastis").

k) Novius.

5 (Non. 476, 3): rhetoricásti.

l) Pomponius.

† 82 (Non. 166, 1): dolásti (libri „dalasti", Buechelerus „chalasti").

m) Laberius.

118 (Macrob. sat. II 7): concurvásti.

n) Catullus.

25, 6: involásti.

1) Heaut. 884 et 891 in Bembino extat plena forma.
2) Ad. 774: „potasti" omnes edd. praeter Umpfenbachium, qui cum rec. manu Bembini edidit „potatis".

o) Horatius.

epod. 9, 24: reportásti.

p) Phaedrus.

append. 8, 31: vindicásti.

q) Seneca.

-ásti(s): Herc. F. 1039, Herc. Oet. 763. 1416, Oed. 844, Phaedr. 117, Phoen. 233, Thyest. 1110, Troad. 249.
-astí(s) (ante ultimum iambum): Herc. Oet. 1779, Troad. 669. (in canticis: Agam. 814, Med. 668).

Summa:

Livius Andron.: -avisti(s).
Naevius : -avisti(s).

Plautus:	41(-44)-r	-avisti(s);	24(-26)-ies	-asti(s).
Ennius	1-el (?)	„ ;		
Pacuvius	1-el	„ ;	4-r	„
Terentius	1-el	„ ;	27-ies	„

Ceteri poetae iampici semper -asti(s).

Eundem usum invenimus apud

Poetas dactylicos, qui semper scripserunt -asti, uno excepto Valerii Flacci (V 314) loco, qui initio hexametri legitur „optavistis“ [1]).

Contra in oratione pedestri

Cicero non plane respuit formas pleniores, quas habet locis duobus et quadraginta [2]).

Caesar semel talem formam usurpavit eamque plenam [3]).

CIL I: „purgavistis“ in SC de Tiburtibus v. 3.

1) Schefflerus, p. 38 sq.
2) Frohweinius, p. 11 sqq.
3) Frohweinius, p. 27 adn. 2.

C) -a(ve)ram, -a(ve)rim, -a(ve)ro.

a) Tituli.

1) -averim: i. f. Buech. 190, 7 (Garucci, act. inst. arch. rom. 1861, 37): denegáveris.
„ 199, 2 (CIL V 3034): violá(ve)rit.

2) -arim: Buech. 92, 12 (CIL VI 22102): paráram.
„ 129 et 130 (CIL IX 4816 et VI 6467): optarít.

b) Livius Andronicus.

trg. 25 (Non. 475, 32): praestolárat.
libri „praestolaras"; cf. Ribbeck. coroll. p. X).

c) Plautus.

1) -averim, -averam, -avero: septuagies semel.

α) i. f. Amp. 313. 383. 741, As. 95. 374, Aul. 684, Ba. 736. 888. 977, Cp. 127. 314. 691, Cas. 106. 304. 426. 569. 966, Cist. 524, Cu. 174. 646. 726, Ep. 71. 506, Men. 475, Merc. 548. 863, Mil. 66. 432. 526, Mo. 484. 519. 921. 1007. 1039. 1151, Per. 79. 135, Poen. 551. 601, Ps. 573[b]. 630. 666. 721. 751. 883, R. 662. 755. 850. 1340. 1347. 1350. 1383, St. 144. 420. 436. 516. 652, Tri. 655. 856. 1083. 1105, Tru. 308. 821. 876.
Amp. pr. 53. 136, Mil. pr. 132, Poen. pr. 93.

β) a. d.: bis.
As. 561, R. 401.

γ) in aliis versuum pedibus:
Mil. 263 Párticipaverít de amica erí, sese vidísse eam.

Sic recte A; cet. codd. „particaverit". Quamquam potest „participaverit" in finem versus antecedentis reici; tamen facere non audeo.

2) -arim, -aram, -aro: decies.

α) -árim: As. 562. 570. 572. 720. 765, Mil. 1415, Poen. 450, St. 204[1]).

β) ⏊arim: Tri. 587.

γ) -arím: Tri. 656.

3) Seorsum sunt hi versus tractandi:

† frg. 57 G. (Schol. Veron. in Verg. Aen. II 670, p. 89, 28 K.):

Si me tu hodie invitaveris, numquam quicquam.

Winterus ut septenarium trochaicum efficeret, sic versum edidit:

Sí me tu hodie ínvitaris númquam quicquam ⏊ ⏑ –

Equidem aliam distributionem praetulerim:

⏊ ⏑ – ⏑ ⏊ ⏑ – si mé tu hodie invitáveris
Númquam quicquam ⏊ ⏑ – ⏑ ⏊ ⏑ – ⏑ ⏊ ⏑ – .

Cui distributioni id obstare Winterus censet „quod grammatici solent versus continentes describere[2]), deinde quod numquam ab antecedentibus verbis nimis divelleretur". Ceterum possis initium tetrametri iambici cum Goetzio efficere.

† Mo. 1006 sq. sic legas:

Haud póstulo edepol. # Vérum cras nĭsí prius
Vocá[ve]rit <quis> me, vél apud te cenávero.

Quibus causis commotus ita hunc versum emendaverim, in excursu II infra exponam, in quo de prosodia verbi „nisi" disseram.

---

1) Pararit] Pararait A.
2) Sed cf. e. g. grammaticorum testimonia ad Tri. 545 sq. 988 sq.

† Cas. 781 Cena úbi erit cocta: égo ruri cenávero.

Hiatus in caesura; qua de causa Schoellius „ego ruri cenam invenero", Muellerus „ego ruri post cenavero".

† Cu. 268 Si quidem íncubare vélint qui periurá-
verint.

Goetzius[1] cum Fleckeiseno „qui periurarint velint", Goetzius Schoelliusque[2] recte „vélint qui periuraverint".

Coniecturis virorum doctorum illatae sunt formae in -a(ve)rim, -a(ve)ram exeuntes hos in versus:

1) -averim, -averam
   i. f.: Ep. 149 (Loewius), Mo. 1113 (Ritschelius), Ps. 654 (Scriverius).
   non i. f.: Mil. 1380 (Muellerus).
2) -arim, -aram: Mil. 927 (Ribbeckius), Mo. 183 (Guyetus), Pers. 634 (Camerarius), R. 129 (Ussingius). 191 (Fleckeiseuus), St. 192 (Buggius). 558 (Acidalius), Tru. 349 (Camerarius), Vidul. frg. 26 G. (Buechelerus).

d) Caecilius.

1) -averim: 162 (Gell. II 23): potáveris (i. f.).
2) -arim: 155 (Gell. II 23): impetrárit.
   † 43 (Non. 512, 8): educavit (Bothius, Grauertus „educarit").

e) Aquilius (aut Plauti Boeotia)

† 10 (Varr. I. l. VI 89 M.): clamarát.
codd. B „clamarit"; Osannus „clamavit", Ribbeckius in ann. „clamabat".

f) Terentius.

1) -averim semper i. f.: septies (noviesve).

Andr. 664. 673. (alt. ex. 16. 17), Phorm. 516. 914. 975, Hec. 235[1]), Ad. 843.

2) -arim: duodevicies.

α) -árim: Andr. 241. 379. 520, Eun. 417, 452, Heaut. 487[2]). 584[3]). 727[4]). 976, Phorm. 893, Hec. pr. 5. 796, Ad. † 602[5]). 844. 858[6]).

β) -arím: Eun. † 673, Phorm. 84, Ad. 519.

g) Titinius.

† 76 sq. (Non. 102, 2):

quam ego hodie extórrem.
Hac dómo faciam, pilátricem palia evallavito púlchre.

Ribbeckius[2] anapaestos constituens cum Buechelero „pallae evallavero"; „evallavero" iam Lipsius; „evallaro" olim Ribbeckius cum Hermanno. „Evallavero" vix recte a Buechelero scriptum, quoniam Titinio, qui non ante Terentium fabulas togatas docuisse videtur[7]), plenam formam medio in versu tribuere non possumus.

120 (Serv. Aen. XI 457): beáverit (i. f.).

h) Turpilius.

197 (Non. 538, 8): collocáveram (i. f.; sic Ribbeckius cum Par. P).

i) Accius.

360 (Cic. p. Sest. 56, 120): dubitárit.

---

1) A „adsimularit".
2) D „denegaveris" (sic!).
3) G „indicaverit".
4) DG „renuntiaverit".
5) Coniectura Bentlei; codd. c. A „relevabis".
6) Ad. 262 codd. c. A „putarit" falso pro „putavit".
7) Cf. Teuffelii Historiam litt. Roman. § 112, 1.

610 (Prisc. de metr. Ter. in GL p. 424, 26 K.): excitárit.
649/50 (Non. 355, 11): clamáris (libri plerique „clamoris").

k) Lucilius.

1) -averim: 825 L. (= 555 B.; Non. 288, 30): aspiráverint (i. f.).
2) -arim: † 619 L. (= 504 B.; Non. 499, 18): conlocárit. (coni. Lachm.; Baehr. cum codd. „conlocavit").
673 L (= 577 B.; Non. 31, 28): inritarít.

l) Afranius.

72 (Charis. II p. 213, 10 K.): narrávero (i. f.).

m) Novius.

44 (Non. 518, 14): peccáveris (i. f.).

n) Pomponius.

158 (Non. 18, 1): lerarít.

o) Comic. inc. frg. inc.

† 52 (Charis. IV p. 284, 19 K.): sperárat (ex coni.; cod. „sperare").

p) Varro.

sat. Men. 37, 2 Buech. (Non. 174): duplicárat.

q) Horatius.

1) -averim: semper i. f. epod. 1, 32; 5, 91; 11, 19.
2) -arim: α) -árim: epod. 17, 9.
β) -arím: epod. 5, 60; 15, 16.

r) Phaedrus.

1) -averim: quater i. f.: V 2, 7; 5, 32; append. 7, 2; 13, 14.
2) -arim: quaterdecies.

α) árim: I 6, 9; 12; 15; 27, 4; II 6, 9; epil. 5; III 16, 19; IV pr. 15; 6, 6; V 2, 7; 8, 3; App. 3, 8; 18, 18.

β) -arím: app. 7, 1; 13, 6.

s) Seneca.

1) -averim: nusquam,
2) -árim: Oed. 389, Phaedr. 718, Phoen. 206, Thyest. 1106.

t) „Octaviae" auctor.

1) -averim: non invenitur.
2) -arim: α) -árim 531; β) -arím 532.

Summa:

Tituli iambici: bis -averim (i. f.); bis -árim
Liv. Andron. semel „
Plautus 70(-73)-ies „ „ ; 10(-11)-ies -árim
1(-2)-s „ med. in vers.;

Ceteri omnes inde a Caecilio usque ad Phaedrum usurpaverunt et -arim et averim, sed illud multo saepius, hoc non nisi i. f. collocatum.

Seneca: semper -arim.

Longe alia res in dactylis, nam Schefflerus p. 41 sq. omnibus huius generis formis collectis docuit longiores occurrere in poesi dactylica 390, breviores 387, quo exemplo luculento demonstratur, quantum intersit distingui poetas secundum metrorum genera [1]).

1) Silentio non praetereundum esse putabam apud Lucilium, Lucretium, Catullum tantummodo formas plenas inveniri, apud Vergilium totidem longas, quot breves, atque illas quidem praecipuam sedem in quinto pede obtinuisse: 18-ies in V pede, 4-r in IV-o.

M. Tullius Cicero[1]) -averim, -averam circa 165-ies, sed multo plus millies -arim, -aram. Suspicor Tullium non sine ratione utrasque formas adhibuisse, at nondum indagavi, cur alterutras praetulerit.

Contrarius est C. Julii Caesaris usus[2]), qui 93-ies praebet plenas, 11-ies breves formas.

Denique in titulis quoque multo saepius plenae, quam breves formae inveniuntur[3]).

D) -a(ve)runt.

a) Tituli.

Buech. I 52, 3 (CIL I 1007 = VI 15346): nominárunt. („aet. fere Gracchanae" Buech.).

„ I 72, 2 (Not. d. scavi 1888, 531): laudárunt.

b) Plautus.

1) -averunt (et -avere): quinquies.
   α) -avére: Poen. 850.
   β) -ávĕrunt (i. f.): Per. 160, R. 168 (B „-arunt").
   γ) -averúnt: Ep. 32, Poen. 769.
2) -árunt: Amp. 211, Mil. 1432, Poen. 1135. Amp. pr. 92 (B[1]J „avérunt"), Cp. pr. 47.
3) Poen. 773 Eum ádlegarunt, suúm qui servum díceret.

Sic Bentleius omnesque edd. cum A; ceteri autem codd.: Eum ădlégaverunt, suúm qui servum díceret.

1) Frohweinius, p. 15—21.
2) Frohweinius, p. 27 adn. 2.
3) Vide infra; apud Catonem quoque formae plenae usitatiores.

c) Ennius.

† trg. 59 (Macrob. sat. VI 2, 18): tractavére.
„ 394 (Diomed. I p. 345, 1 K.): aditavere.

d) Terentius.

1) -averunt: nusquam.
2) -árunt: ter.
Eun. pr. 43. 593, Ad. 649.

e) Titinius.

† 147/8 (Non. 2, 18): emigrárunt.

f) Turpilius.

† 98 (Non. 534, 7): adcelerarúnt.

g) Afranius.

† 147 (Non. 232, 25): fabulávĕre (i. f.; Bothius et Ribbeckius „fabulabere"; Neukirchius „fabulaverit").

h) Pomponius.

79 (Non. 473, 17): frustrarúnt.

i) Com. inc. (Atta?).

Ribb. Attae frg. 11 (Charis. I p. 103, 30 K.): degulárunt.

k) Varro.

Sat. Men. 109 B. (Non. p. 102): evallávĕrunt (i. f.).

l) Phaedrus.

Semper -arunt:
α) -árunt: I 24, 6; II ep. 2; III 10, 34; IV 19, 11; app. 14, 33.
β) -arúnt: I 9, 5.

m) Priapea.

(63, 10: dolávèrunt — i. f. vers. choli.).

n) Seneca.

Semper -arunt (-are):
Troad. 696, Phaedr. 545.
(„stravére“: Herc. Oet. 58).

Summa:

Plautus Enniusque saepius -averunt (-avere), quam -arunt, Terentius ceterique fere semper -arunt (1—2 -averunt i. f.).

In poesi dactylica [1]: -averunt 7-ies.
-avere 119-ies [2]).
-arunt 159-ies.

Cicero [3]) dixit et -averunt et -arunt, atque hoc paullulo saepius, quam illud; numquam autem scripsisse videtur -avere.

Caesar [4]) quinque locis exceptis formam pleniorem adhibuit.

In titulis utraque forma obviam fit, sed crebrior est plena.

Ergo hoc quoque in ordine formarum discrimen deprehendimus haud parvum cum inter poetas dactylicos et iambicos, tum inter versus et solutam orationem.

---

1) Schefflerus, p. 39 sq.
2) Schefflerus, p. 40 dicit pleraque exempla formae -avere aut initio versus posita esse (76) aut pede quinto (33), praeter Sil. XVI 672 et verbum, quod est sternere.
3) Frohweinius, p. 13 sqq. et p. 27.
4) Frohweinius, p. 27 adn.

IV -ivi[1]).

A) -i(vi)sse(m).

a) Plautus.

1) -i v i s s e (m) occurrit octies.
   -ivísse: Aul. 770, Cist. 776, Men. 688.
   -ívisse (el.): Cas. 430. 601, Ep. 254.
   -ivissém: Merc. 993, R. 899[2]).
2) -isse(m): septies.
   -ísse(m): Cp. 1023, Cist. 574, Mil. 730, Mo. 434, R. 899.
   -issés: Tri. 1086.
   -issémus: R. 591.
3) Praeterea loci dubii hice:

† A m p. 2 7 2 Crédo ego hac noctú Nocturnum ó b d o r-
m i s s e ébrium.

Sic codd. c. hiatu legitimo post „Nocturnum", inquilino ante „ebrium", qua re commoti editores recte correxere „o b d o r m i v i s s e".

† T r u. 5 7 5 Attat eccam adést! propinque crédo a u d i-
v i s s e haec mé loqui.

Bothius sine dubio recte edidit „audisse".

Tum bis verbi „indaudire" vel „inaudire" infinitivus perfecti extat; cuius verbi utrum formâ vetustiore „indaudire" noster usus sit an recentiorem „inaudire" admiserit, quaeritur; nusquam in litteris latinis hoc verbum „indaudire" scriptum a codd. nobis servatum est praeter cod. Ursinianum in Pl. Merc. 944 (de quo versu v. infra), sed saepius habes „inde

1) Omissis verbi eundi formis, vide supra p. 78.
2) Codices Prisciani, qui bis hunc versum laudavit, altero loco (VII p. 332, 19 H.) omnes „dormisset", altero omnes praeter B.

audire" in libris, quod ex „indaudire" pessum datum esse manifestum est: Merc. 941 omnes libri „inde audire", metro et in- et ind- scribendo satisfit; St. 77 A „inaudiverim"; cet. „inde audiverim", ex quo metri causa „indaudiverim" restituendum est; Cp. pr. 30 omnes codd. „inde audivit", sed codicis A testimonium deest et hic et in Merc. v. 941; syllabâ primâ longâ opus est. Primam longam res metrica his quoque versibus poscit: Mil. 211. 442, Mo. 542; item in Novii frg. 55 sq. R², siquidem Ribbeckius recte baccheos restituit. Sed cum post Terentium nusquam formam vetustiorem inferri necesse sit (neque Ter. Phorm. 877, Pacuv. 35 R² [1]), Afran. 68 [2]) neque in Ciceronis epistulis ad Att. VI 1, 20; XV 26, 1; „ad fam." IX 24, 1), ne Novio quidem hanc formam tribuere audeo [3]). Quoniam in Plauti comoediis uno versu Merc. 941 excepto semper primam longam desideramus (quae Terenti aetate iam obsolevit), et Langenum (ad Aul. 266) recte iudicavisse „inaudiendi verbi formas d littera omissa non Plautinas esse" statuendum est et Fleckeisenum recte illum quidem de eodem versu sensisse, sed errasse in Merc. v. 944, quorum uterque versus nunc breviter mihi tractandus est:

† Aul. 266 Crédo ego illum iam ínaudisse míhi esse thensaurúm domi.

Sic libri Plautini, cum Noniani (p. 500, 30) „inaudivisse" praebeant; illorum auctoritatem si sequaris, lege sis:

Crédo ego illum iam indaudisse mihi esse thensaurúm domi.

---

1) Nulla causa Kiesslingius scribi iussit „indaudivi".

2) Ribbeckii „indaudiat" edentis rationes probare non possum.

3) De huius verbi notione breviter dixit Brixius ad Mil. 213 et uberius Ribbeckius in frg. com² p. CIX.

(Langenus, Goetzius Schoelliusque in ed. min.); sin Nonium praeferre mavis cum Leone:

Crédo ego illúm iam indaúdivisse míhi esse thensaurúm domi.

† Merc. 944 Nil mentitust. # Séd de amica se índaudivisse aútumat.

Sic recte omnes edd.; B. „inaudisse"; C. „inaudiissē; D „indaudiissē"; Fleckeisenus, Exerc. Pl. p. 44 „inaudivisse se".

b) Terentius.

1) -ivisse: ter traditum.

Hec. 517 Mísera? nam audivísse vocem púeri visust vágientis.

Versus et sententiâ optimus neque ratione metrica damnandus, quamquam structurâ non ex elegantioribus tetrametris est; quodsi Engelbrechtus eum obelo notavit, quod plane pedester esset, quid sibi velit, nescio, nam si tali ratione utatur, magna ei versuum Terentianorum Plautinorumque pars delenda est; conferat velim eiusdem Hecyrae scaenae (IV 1) versus hosce:

516 Périi, / quid agam? / quó me / vortam? / quíd viro meo / réspondebo.

522 Úxor / ubi me ad / fíliam / ire / sénsit, / se duxít foras.

Cf. etiam vv. 525. 526. 534. 535 al.

† Hec. 816 Ne me ístuc ex te príus audivisse gaúdeo.

„Audivisse" omnes libri; „audisse" Umpfenbachius, Dziatzko, Engelbrechtus; „me" deleverunt Fleckeisenus et

Wagnerus, ut priscam formam servarent; quibus dubitanter assentior [1]).

† Hec. 313 Fortásse unum aliquod vérbum inter eas
íram hanc concivísse<ere>.

„Concivisse“ Donatus; „ere“ addidit Bentleius; A „con-
i set
cluserit“; cet. codd. „conciverit“.

2) -isse: undecies.

α) -ísse: Andr. 239. 729 [2]). 808, Eun. 34. 115 [3]), Hec. 222, Heaut. 844, Ad. 272. 771. 857.

β) -issém: Phorm. 13. 30.

γ) ⏑issem (el.): Andr. 258.

c) Accius.

† 172 (Non. 357, 6): desissét (versus corruptus).

265 (Non. 475, 25): partíssent.

d) Lucilius.

757 L. (= 633 B.; Non. 234, 26): concupísset.

e) Afranius.

50 (Non. 475, 20): partissét
(L. Mueller Nonii lemmate commotus scripsit „partiret“).

---

1) Cf. Ter. Eun. 331; Spengelium ad Andr. 14; Funckium in Fleckeiseni Annal. v. 121 (1880), p. 729.

2) „Apposisse“ legendumst cum E; cet. codd. „apposuisse. A Ritschelio (in progr. Bonn. 1852 = Opusc. IV 118—121) evictum est propriam poetarum iambicorum usque ad Lucilium formam fuisse „posivi“, non „posui“; hanc, quae neque in Plauti fabulis inveniretur neque Terentio tribuenda esset, poetis dactylicis deberi recte ille contendit; Spengelius ergo falso in tribus Andriae locis (729. 742. 763) „apposui“ tutatus est.

3) „Unde émerät, si audivísse abreptam e Súnio“.
Sic BCDEGP; at cum verbo dactylico „emerat“ neque Plauto neque Terentio uti licuerit, legendum est cum A „audisse“.

f) Varro.

(sat. Men. 45, 3 B. (Non. 530, 20): nescísse (in choljambis)).

g) M. Tullius Cicero.

Tusc. I 48, 115 (= 40, 4 Baehr): finissét.

h) Catullus.

4, 4: nequísse.

i) (Vergil.) Catal.

8, 4 Ribb, (= 10, 4 Baehr.): nequísse.
8, 16 „ (= 10, 16 „ : deposísse (coni. Scaligeri; codd. „deposuisse").

k) Seneca.

Med. 1010: petísset; Oed. 514: nescísse; Tru. 555: petíssem. (Oed. 173: mugisse — in anap.)

Summa:

Plautus: -ivisse(m) 8(-10)-ies; -isse(m) 7(-8)-ies.
Terentius: „ 2-s ; „ 13-ies.
Ceteri iambici: semper -isse(m).
Poetae dactylici[1]: -ivisse(m) 4-er (Verg. ecl. II 34; Manil. I 731; Val. Fl. III 627; Sil. XIV 393).
-iisse(m) 62-ies[2]).
-isse(m) 245-ies.

1) Schefflerus, p. 49.
2) Formà, quae inter plenam et contractam est „iisse", poetae iambici numquam usi sunt, quod in Plauto iam Fleckeisenus, Exerc. Plaut., p. 44 vidit.

Cicero[1]: -ivisse(m) 14-ies, -isse(m) saepissime; iisse(m) nunquam.

Caesar[2]: semper -isse(m).

Tituli: in CIL I formae coniunctivi plusquamperfecti et infinitivi perfecti non extant.

B) i(vi)sti(s).

a) Plautus.

1) -ivisti(s): septies decies.

α) -ivísti(s): Amp. 620. 748. 752, Aul. 331. 538, Cp. 544, Cist. 112. 545[3]), Ep. 570, Poen. 139. 921, R. 355, St. 245/6[4]), Vidul. frg. 22 G.

β) -ívisti (el.): Mil. 755, Per. 798, Ps. 490.

2) -isti(s): bis

† Mil. 1344 Iám resipisti, <Phílocomasium>? # Óbsecro, quem ampléxa sum.

Cist pr. 170 Ut eámpe vos audístis confitérer.

3) Dubii sunt duo versus:

† Mil. 1313 Qui á matre et soróre venit. # Vídes. # Audin, Palaéstrio?

Sic Ritschelius aliique cum Guyeto; CD „audistin", B „audistis in".

† R. 993 Quí<a> tu numquam audívisti esse ante hac[5]) vídulum piscem? # Scelus.

---

1) Frohweinius, p. 6 sq.
2) Frohweinius, p. 7 adn.
3) BV „audisti".
4) „Audivisti" A; „aut luisti" B; „audisti" CDFZ.
5) „Ante hac" semper bisyllabum est semperque duobus verbis scribendum esse codicis „veteris" scriptura constans docet.

Quamquam puto Plautum iam his quartae coniugationis formis contractis uti coepisse, quas Fleckeisenus Exerc. p. 41 poetae nostro abiudicavit, tamen si „audisti“ inferamus, metro satisfit, minus verborum ordini, nam molestius est „numquam audisti esse ante hac“ („antehac“ post „esse“)[1]. Tum autem potes „ante hac“ ante „numquam possere cum Schoellio: quo pes quartus fit pessimus:

„audivísti esse“,

aut cum Fleckeiseno (l. l.) „esse“ delere:

Quíd, tu numquam audívisti ante hac vídulum piscém? # Scelus.

b) Ennius.

† sat. VI 4 Vahl. (= 478, 4 Baehr.; Donat. ad Ter. Phorm. II 2, 25):

abliguristi, ex coni. Baehrensii; Vahlenus cum codd. plerisque „abligurias“.

c) Terentius.

1) Plenam formam semel apud Terentium occurrere puto:

Heaut. 429 Numquíd nam de gnató meo audivistí, Chremes.

Sic A; cet. codd. „audisti“. Bembini lectionem Fleckeisenus et Wagnerus praetulerunt, sed ita, ut „meo“ ante „gnato“ collocarent; Umpfenbachius, Dziatzko, Engelbrechtus e codd. deterioribus „audisti“ sumpserunt. Neque his neque illis assentior, nam primum mihi quidem forma vetusta codice vetustissimo tradita amplectenda esse videtur, quâ servatâ

1) De „vid'lum“ nemo cogitabit: v. Leo, Plautin. Forsch., p. 239.

nullâ mutatione opus esse existimo, quoniam voces ut „meo“, „meum“ sim. unâ syllabâ pronuntiatae ante vocalem sequentem plane elisae non solum in Plauto occurrunt[1]), sed etiam apud Terentium, e. g.:

Phorm. 232 Néc meum imperium: ac mítto q. s.[2])

2) -isti(s): duodevicies.

α) ísti(s): Andr. 742[3]). 763[3]). 785, Heaut. 685. 731, Phorm. 79. 329. 349. 612, Hec. 784, Ad. 467. 539.

β) ⏑isti (el.): Heaut. 684. 1029, Andr. 975, Hec. 550.

γ) -istín' (enclis.): Phorm. 577.

δ) -istí: Phorm. 318.

d) Titinius.

† 24 sq. (Non. 406, 17):

Quae inter decem annos nequisti unam togam detexere.

Sic libri „parum numerose“; equidem ut quae Ribbeckius edidit:

quae intrá decem
Annós nequisti tógulam unam detéxere

probare haud possum, quoniam Nonius ad „togam“ verbum explicandum versum Titinii descripsit, ita ne Buecheleri quidem coniectura mihi placet „nesciisti“, nam si poetae iambici in 2 pers. perf. indic. quartae quam dicimus coniugationis litteram „v“ omittunt, semper „ii“ in unum contrahunt, quod exempla a me collecta docent[4]). Receptâ igitur Ribbeckii in duos versus distributione verba sic transposui:

---

1) Ritschelii Prolegom. ad Trin., p. 163.

2) In verbi accentu cum metrico tertii pedis ictu dissociato minime offendendum est, quod „gnató meo“ quasi unum vocabulum est.

3) „Apposisti“ e coniectura Ritschelii; codd. „apposuisti“.

4) Vide etiam supra p. 148, ann. 2.

quae intrá decem
Annós togam unam n é q u i s t i detéxere

Si quem „decem“ in fine versus positum et ab substantivo seiunctum offendat, videat exempla ab Appubnio, Quaest. Plaut., p. 58 sqq. prolata; verbi causa v. Pl. Stich. 168 sq.:

Solére elephantum grávidam perpetuós d e c e m
Esse á n n o s [1]).

e) Afranius.

98 (Charis. II p. 241, 17 K.): audísti.

f) Pomponius.

64 (Non. 114, 10): conforísti (Salmasius „conforiasti“).

g) Laberius.

† 24 sq. (Non. 107, 32):

Qua re tam arduum ascendas? an c o n c u p i s t i eugium scindere?

Sic libri Nonii optimi: Lugdun., Harl., Guelf. in L. Mueller comment. crit. (non „concupiisti“!). Verba tradita sine dubio sic in duos versus distribuenda sunt:

qua re tam árduum
Ascendas? an c ó n c u p i s t i eúgium . . scíndere.

---

1) Idem Appuhnius de Titinii versu (p. 87 sq.) sine iudicio disseruit, versum enim conformavit non illum quidem non amoenum, sed accentibus pessumum:

Quae intra annos decém nequisti unám togam detéxere,

annotans haec: „Fortasse nequiisti praeplacet“. Hic tamen versus magis ferendus est, quam quem Lucianus Mueller in Nonio edendo versum effecit, cuius similem vix in tota Romanorum poesi iambica invenies:

Intér / decém / quae annós / nequísti / unám / togám / detéxere.

Versus alter fere est trochaicus septenarius, deest una syllaba post „eugium", quae pro certo restitui vix poterit, sed puto „per-" (scindere) vel tale quid intercidisse. Ribbeckii transpositio mihi non probatur, minime autem Laberio, Ciceronis aequali, antiquam formam „concupivisti" inculcare possum, quod ausus est Bothius.

h) Phaedrus.

I 27, 10: concupísti.

i) Seneca.

1) -ivisti(s): nusquam.
2) -isti(s): Herc. Oet. 294. 551.
(in anap.: Ag. 371, Herc. Oet. 595).

k) „Octaviae" auctor.

v. 848: audistí.

Summa:

Plautus:	ivisti(s)	17(-18)-ies;	-isti(s)	2-s.
Terentius:	„	1-l ;	„	16-ies.
Ceteri iambici	„	numquam ;	„	semper.
Poetae dactylici[1]):	„	„ ;	„	91-ies; iisti 1-l (Stat. Theb. X 237)
Cicero [2]):	„	3-r ;	„	fere 100-ies.
Caesar [3]):	„	numquam ;	„	bis
Tituli CIL I:	„	„ ;	„	nusquam.

1) Schefflerus, p. 49.
2) Frohweinius, p. 4 sq.
3) Frohweinius, p. 7 adn.

C) -i(v)erim, -i(v)eram, -i(v)ero.

a) Tituli.

Buech. I 77, 2 (CIL III 9733): resciveris (i. f.) („aevi prope Augustei" Buech.).

b) Naevius.

com. 96 (Gell. II 19, 6): rescívero (i. f.)

c) Plautus.

1) -iverim (-am, -o): undetricies.

α) i. f.: Amp. pr. 74. 748, Ba. 358. 359. 800, Cp. 251. 293, Cas. 575, Cist. 102, Ep. 195. 310. 593, Merc. 323. 941. 1003, Mil. 572, Mo. 542. 881, Pers. 219, Poen. 188. 908, Ps. 830, R. 716, St. 77, Tri. 145. 538.

β) a. d.: R. 330.

γ) in aliis versuum pedibus:

Mo. 401 Íntus cave muttíre quemquam síveris. # Cu-
rábitur.

Mil. 566 Muttívero, etiam quód egomet certó sciam [1]).

2) -ierim: bis.

Cas. 903: audíerint.

Merc. 613: síerint [2]).

Pers. 218: scieró [3]).

3) sirim: sexies.

Ba. 402. 468, † Cu. 27 [4]), Ep. 400, Poen. 953, Tri. 521.

---

1) Sic edd. cum ABcCD; Ba „metuero".

2) B „desierint", CD „deserint"; fort. legendum est „Dei seirint".

3) Schoellius „scio".

4) Codd. „sinit".

4) Dubia:

† Mil. 1265 Nescío, tu me ex hoc aúdieris an nón: nepos sum Véneris.

Omnes edd. Hermannum secuti „ex́ me hoc audiveris“.

† Ps. 1116 Nam ín taberna úsque adhuc síneret Surus.

Versus est in cantico cretico; J. H. Vossius scripsit „siverat Surus“, quod omnes probarunt, nisi quod Ritschelius cum Bothio post „siverat“ adiecit „me“.

† Ps. 549 Quin rús ut irem, iám heri constitueram.

Goetzius „mecum statúeram“; Ritschelius „constitíveram“

† Mil. 926 Eo potiverim lepidius pol fierí q. s.

Versus corruptus a nullo probabiliter emendatus.

d) Ennius.

† sat. 14, 4 V. (= 478 Baehr.): abligurrieris — coni. Ribbeckii.

Cf. supra p. 150 sub litt. b.

e) Pacuvius.

† 200 (Cic. Tusc. I 44, 106): v. d. coniecerunt aut „siris“ aut „sireis“ aut „sieris“.

f) Caecilius.

96 (Prisc. X 513, 4 H.): obdormívero (i. f.).

Bamberg. „obdormiero“.

g) Terentius.

1) Forma plena: ter.

i. f.: Andr. 494, Heaut. 718, Hec. 567.

2) -ierim: undecies.

α) íerim: Andr. 177. 341. 922, Eun. 387 (cod. E. „resciverint"). 429. 665. 669, Phorm. 185, Hec. 262.

β) ‿ierím: Eun. 235, Hec. 519.

3) Phorm. 573 et Hec. 813:

Quaeso ígitur commorábare, ubi id audīeras?[1]).

Tántumnest? # Tantum: áderit continuo, hóc ubi ex te audīerit[2]).

His versibus adiungo Ad. v. 27:

Neque sérvolorum quísquam, qui adversum īerant,

ad quem versum Donatus adnotavit: „ierant producta „i" pronuntiandum, quod nos addita „v" iverant dicimus." Fuerunt, qui hoc testimonio adducti, ut „ierant" traditum tuerentur, „i" productam esse facerent. Quaeritur, utrum hoc „ierant", quod a Donato legebatur, iam illis temporibus corruptum fuerit an Terentius reapse „īerant" pronuntiare potuerit. Ubicumque verbi „ire" vel quartae coniungationis formas legimus, habemus aut (e. g.) „audīveram" aut „audĭeram", exceptis tribus illis Terentii versibus. Quomodo ex „audīveram" natum est „audĭeram"? Primum excidit „v", quam ad III post Chr. n. saeculum litterae fere vocalis vim habuisse testimoniis grammaticorum a Seelmanno, de pronunt., p. 333 sq. exscriptis evincitur; eadem ratione ex „Gnaivos" (in Barbati elogio, itemque in titulis oscis) ortum est „Gnaius", „Gnaeus". Sed „audīerat" (ex „audīverat") non diu antepaenultimam longam servare potuit, nam latini vocalem longam ante vocalem corripere solebant, velut ex „fuveit"[3]) natum est „fūĭt", ex quo prodiit „fŭit". Sed iam

1) Sic ADG.

2) Libri cum A.

3) CIL I 1051: „Ultuma suorum Cupiennia L. f. Tertulla fuveit quius heic relliquiae suprema manent."

Plauti, quem novies fere „fŭi“ habere puto, aetate prosodia „fūit“ obsoleta erat, quam ob rem a poeta praesertim in fine versus vel primae versus partis ponebatur[1]); quin iam in Naevii fragmentis bis „fŭi“ occurrit, semel „fūi“: com. 88 R² „fūerim“ i. f.; Ennius autem bis habet „ū“[2]), semel „ŭ“[3]); post quem semper prima syllaba brevis est apud poetas[4]), item iam apud Terentium. Quodsi formam mediam „fūit“ in poetarum versus inferri licet, quidni „audīerat“, „īerant“? Sane „ī“ nusquam patienda est, nisi in fine versuum eadem ratione atque „fīeri“, fīerem“, longâ antepaenultimâ fere in ultimo versuum iambicorum et trochaicorum cretico legitur[5]). Neque gravor Plauto tribuere formam mediam inter „familiai“ et „familiae“, quae est „familiaĕ“. Nam me offendit, quod genetivi loco quinquagies fere „-ai“ ab editoribus inde a Bothio scaenicis datur, quamquam non plus semel in libris manu scriptis extat (Poen. pr. 51); quodsi scripturas velut „familia“ in Merc. 811. 241, Poen. 274. 432, Aul. 305, Mil.

---

1) Muellerus, Prosod. Plaut., p. 84 adn.; Brixius ad Plaut. Cp. 262; in fine versuum habemus: fūerit As. 782, fūimus Cp. 262, fūerim Mil. 1364, fūerint Poen. pr. 110, fūi R. 217; ante diaeresim tetrametrorum: fūi(t) R. 217. 1105 (cf. Sisennae apud Rufinum GLK. p. 561, 3 testimonium: „fuit extendit primam syllabam metri gratia“); praeterea mihi forma vetustior certa esse videtur initio versuum: Cp. 633, Mil. 776.

2) Annal. frg. 141 Baehr.:

Qui invictī fūere viri, pater optime Olympi,

et Sat. frg. 483 Baehr.:

Nós sumus Romani, qui fūimus ante Rudini.

3) Annal. frg. 188 Baehr.

4) Nam neque apud Accium 263 R. neque apud mim. poet. inc. 5 R. „ū“ admittenda est.

5) Saepissime in fine v., velut ter in Amphitruone (587. 702. 851), raro aliis pedibus, ut primo pede Amp. 593 „Fíerí nunc út tu <et> hic sis et domi“ q. s. („et“ inseruit Lomanus; edd. cum eodem „uti“), in anap. Ps. 1319, in bacch. Amp. 567.

103 veteris formae vestigia esse Leo putat, qui nuper uberrime doctissimeque de his formis egit[1]), hoc mihi quidem non probavit, nam his sex versibus alios quinque opponere possum, in quibus „-a“ in aliquot codicibus traditum pro „-ae“ dativi loco non potest in „-ai“ mutari; sunt autem hi versus:

Merc. 120: curaest] „curast“ omnes libri.
R. 412: morae] „mora“ omnes libri.
Tri. 379: nostrae] „nostra“ BC, „nostrā“ D.
Cist. 713: erae] „era B^1VE; „erae“ B^2J.
Merc. 398: familiae] „familia“ B.

Quibus scripturis evinci existimo sex illis versibus a Leone allatis „-a“ errore fortuito natum esse [2]) neque eum debuisse argumentum veteris formae „-ai“ restituendae inde trahere. Quodsi ita est, nullum vestigium restat, nisi unum illud ex Poen. prol. 51 promptum, quo de dubito eo magis, quod nondum refutati sunt a Leone qui hunc prologum non Plautinum esse contenderant. Ceterum licet in Poen. pr. 51 „comoediai“ sit forma vere Plautina, permirum esset, si quadragies sexies Plautus „-ai“ scripsisset, semel hoc non in „-ae“ mutatum esset vel a scribis vel a grammaticis. Qua de causa in omnibus his versibus nihil mutaveris, sed lege „-aë“ bisyllabum, velut e. g.:

Neque líbellăë spés sit usquam géntium
Suă(ĕ) uxóris dotem ambedisse óppido.

Statuamus igitur Plauto licuisse 1) ubivis formis mediis („-aĕ“) inter vetustas („-ai“) et novissimas („-ae“) uti in

1) „Plautinische Forschungen“, p. 308—332.
2) Sicut e. g. Poen. v. 58 in B legitur „comoediae“ pro „comoedia“.

genetivo singularis primae declinationis, 2) praesertim autem in fine versuum, quod erat quasi ultimum refugium quoddam formarum obsoletarum, adhibere prosodiam priscam „fūit", 3) denique nusquam nisi in fine versuum uti formis mediis „audīerant", „fíeret" sim.

h) Turpilius.

† 64 (Non. 398, 5) Patrócinatum ubi fáctum audierit saúcius.

Sic Ribbeckius cum Stephano; libri „audiverit".

i) Accius.

Praetext. 40 (Cic. p. Sest. 58, 123): stabilíverat (i. f.)
trg. 485 (Non. 484, 5): acciérim.

k) Lucilius.

† 823 L. (= 897 Baehr.; Donat. ad Ter. Phorm. IV 8, 9): deposiveram (i. f.)
Libri „deposueram".

l) Horatius.

epod. 3, 19: concupíveris (i. f.).
„ 6, 15: petíverit (i. f.).

m) Phaedrus.

-íerim: II pr. 15; II 3, 3; II 3, 6; III epil. 18; IV 5, 11.
-ierím: III 2, 17.

n) Seneca.

audierít: Herc. Oet. 1300, Troad. 945.

Summa:

Naevius:	-iverim 1-1:	-ierim nusquam.	
Plautus:	„ 33-ies; (fere semper i. f.)	„ 3-r;	sirim 6-ies.
Caecilius:	„ 1-1;		
Terentius:	„ 3-r (i. f.);	„ 11-ies;	-īerim 2-s.
Ceteri fere omnes:	„ i. f.;	„ medio versu.	
Phaedrus et Seneca		„ semper.	
Dactylici [1]:	„ 21-l;	„ 239-ies;	-irim 2-s.
Cicero [2]:	„ 10-ies;	„ fere 150-ies.	
Caesar [3]:		„ semper.	
Tituli (CIL I)	„ 3-r;	„ 2-s.	

D) -i(v)erunt, -i(v)ere.

a) Tituli.

Buech. I 55, 13 (CIL I 1009 = VI 10096): deposierunt [4]).

b) Plautus.

1) Sciverúnt Poen. 772.
rescivére (ut videtur) Mil. 604.
2) Dormierúnt Poen. pr. 21.
3) Fusius tractandi sunt versus Pseud. 817 sq.:

Teritúr senapis scélera, quae illis quí terunt
Priusquám triverunt, óculi ut exstillént facit.

---

1) Schefflerus, p. 50 sq.
2) Frohweinius, p. 5 sq.
3) Frohweinius, p. 7 adn.
4) Buechelerus adnotavit: „posivi vel posii perfectum v. 13 frequens in lapidibus post Catullum docti repudiarunt.“

Sic codd. Plautini ABCDF cum Prisciani libris VI c. 12 (I p. 205, 2 H.), nisi quod BCDF „celera“ et „cum illis“, A: „SE(velI)NAPl(velE)M“, Prisciani libri plerique „scelerata“, omnes „cum illis“ (minutias omisi), quae omnia aperte falsa sunt. Versus sunt per se satis boni; „scelera“ esse pro feminino adiectivi „scelerus“ habendum iam Servius (Danielis) ad Aen. IX 484 putavit [1]).

Attamen alium horum versuum testem habemus, Charisium G. L. I p. 144, 10 K., qui sic eos laudavit:

Teritur senapis scelera, quod illi qui terit
Priusquam contrivit, oculi ut exstillent facit.

Si „quod“ in „quae“ corrigamus, existunt versus et sententia et ratione metrica optimi. Discrimen principale est, quod Charisius pro verbo simplici „triverunt“ tradidit compositum „contrivit“ numero singulari, cui adaptata sunt in versu priore et „illi“ (pro „illis“) et „terit“ pro „terunt“.

Duas igitur recensiones habemus:

1) omnium librorum Plautinorum (cum A), quibuscum consentit Priscianus,
2) Charisii.

---

1) Plerique adiectivum „scelerus“ in lingua latina fuisse negant; Helvichius in libro rossice scripto, in quo de adiectivorum suffixis et gradibus comparationis disputavit indicemque omnium adiectivorum Plauti composuit („Н. Гельвихъ, Наблюденія надъ именами прилагательными у Плавта.“ Ст. Петербургъ 1893), in indicem quidem „scelerus“ recepit, sed de suffixis agens neglexit. Equidem censeo „scelĕrus“ a „scelĕr-“ eodem modo derivatum esse, quo „decōrus“ a „decōr-“. Confiteor vero me quoque de hoc adiectivo dubitare, quippe cuius sensus hoc loco tantum absit, ut mihi quidem satisfaciat, ut valde displiceat. Quid est „scelera senapis“? Altera ex parte „senapis“ habere pro genetivo et „scelera“ pro substantivo pluralis non possumus propter „facit“ in fine v. 818. Sed ego nihil hucusque inveni, cogitabam et nunc cogito de „celere“, „scilla“, sim.

Quoniam et illam et hanc lectionem bonam esse vidimus ferrique posse, primum quidem quaerendum est, quid auctoritati cum codd. Plautinorum tum grammaticorum tribuendum sit. Nam consensum libri Ambrosiani cum libris Palatinis magni momenti videri necesse est, quippe quorum iam in archetypo (h. e. certe a. 200 p. Chr. n.) scriptum sit „triverunt“; sed augetur eorum auctoritas Prisciani testimonio vel potius augeri videtur[1]), nam ad hos versus redintegrandos Priscianus vix aliquid valet, quia v. 817 corruptam Palatinorum lectionem „cum“ (pro „quae“) habet. Priscianus igitur versus sumpsisse videtur ex Palatinorum, non ex omnium codicum archetypo. Sed plus „Charisii“ auctoritas valet!

Versus, de quibus agitur, in Charisii l. I cap. XVII laudati sunt, quod caput ille ex Romano totum sumpsit[2]). Romanus floruit fere anno p. Chr. n. 200 vel potius intra primos viginti saec. III annos[3]); sed minus valet, quo ille tempore vixerit, pluris est scire qui eius fuerint auctores, quoniam exempla non ipse ex scriptoribus collegit. Vehementer desideramus de fontibus grammaticorum disquisitiones, quae sane ne institui quidem potuerunt ante grammaticorum doctrinam a Keilio congestam, ad finem autem perduci non possunt nisi omnibus veterum grammaticorum scholiis et glossarum collectionibus editis.

1) Prisciani testimonia Plautina maximam partem non ex accuratissimis sunt, cf. e. g. Ps. 177 sq. (ap. Prisc., GLK. II p. 170, 14 sq. H.), Rud. 582. 888 aliaque multa. Sed haud raro ille nobis bona servavit: Ps. 738 apud eum legitur „addecet“ cum Ambrosiano Plauti, cet. libri Plaut. „decet“; St. 392 „exoptabilem“ cum Ambros., cet. libri „optabilem“; St. 493, si recte iudicarunt Ritschelius et Goetzius, ille solus genuina habet.

2) Caput XVII inscriptum est: „De analogia, ut ait Romanus.“

3) Cf. Keilium, Gl. I p. XLVIII; Teuffelium, Histor. litt. Roman. § 379, 1.

De Julii quidem Romani fontibus unam habemus commentationem, Felicis Boelte in Fleckeiseni Annal. v. 137 (1888), p. 401—440, qui de Charisii capp. XV et XVII (libri I) subtiliter et ingenio acutissimo egit. De singulis conferas quae ille exposuit, ego, quod p. 426 sq. dixit, afferam, ubi fontes singulorum capitis XVII lemmatum indicare studuit: „das Capitel enthält 26 Lemmata: davon gehören der Pliniusschicht 93 an (73 bezeugt Romanus), 42 der Ablativschicht, also stammen aus Plinius im Ganzen 135; aus dem anon. de analogia sind 41 geschöpft, aus Palaemon etwa 10, andern Grammatikern werden zusammen 16 zugeschrieben; unbestimmt bleiben 45." Sed, quod dolemus, nihil ex hac lemmatum analysi proficimus, quia nostri versus in lemmate laudantur, cuius fontem Boeltius indicare non potuerit [1]). Fontes, ex quibus Romanus doctrinam suam hausit, optimi sunt: Plini Secundi opus doctissimum; grammaticus ignotus (a Boeltio „anonymus de analogia" nominatus), cuius fontes cum alii erant, tum idem Plinius; Remmius Palaemon, Asper, Caper, Cornutus al. Quod de Romano iudicium benevolum confirmabitur, si versus inspiciamus, quos ex Plauti fabulis laudavit [2]); nam hisce in versibus ille solus genuina Plauti verba servasse videtur:

Per. 29 (p. 212, 22 K.): „peregri".
Per. 99 (p. 215, 5 K.): „qui" [3]).
Poen. pr. 114 (p. 223, 20 K.): „vesperi".
Poen. 280 (p. 223, 22 K.): „pote".
Capt. 484 (p. 197, 14 K.): „compecto".

---

1) p. 416 ann. 42.
2) Romani doctrina (praeter I c. XVII) a Charisio in hisce Keilii paginis profertur: p. 190, 8—224, 22; 229, 6—230, 2; 239, 1—242, 12, aliaque minora, cf. Keilium I p. XLV.
3) Ita puto legendum esse cl. Truc. v. 73 et Stich. v. 222.

Ba. 95 (p. 201, 8 K.): „iubebo".
Ps. 499 (p. 201, 11 K.): „quia sciebam pistrinum in mundo fore" [1]).
Ba. 35 (p. 204. 19 K.): „tu".
Tru. 144 (p. 140, 10 K.): „ob meam scripturam pecudem cepit" [2]).
(Ba. 1123 (p. 141, 10) recte ille videtur omisisse „sic").

Praeterea solus Romanus servavit decem fragmenta ex „Caeco vel Praedonibus" fabulâ Plautinâ, cuius ne mentio quidem fit in ceteris grammaticorum libris. Denique Romanus Bacchides habuit nondum in initio truncatam.

— Hoc excursu demonstrasse mihi videor Romani auctoritatem non superari consensu librorum Plautinorum. Summa igitur libertate ex duabus lectionibus eam eligi licet, quae magis placeat. Ritschelius et Goetzius praetulerunt „triverunt", Lorenzius „contrivit". Ego huic assentior, nam primum verbum compositum „conterere" melius mihi ad sensum quadrare videtur: senapis „priusquam" cocus eam „contrivit" [3]) (i. e. priusquam laborem ad finem perduxit), „ei oculi ut exstillent facit", deinde Lorenzius primus vidit quinque voces sequi quarum pars prima esset praepositio „con-": condiunt, condimentis, condiunt, convivis, congerunt (cf. ingentem verborum cum „con-" compositorum acervum, quem Lorenzius in praef. ad Pseud. p. 37 ann. 26 exstruxit).

---

1) Codd. Plautini corruptissima habent.
2) Codd. Plautini (cum A) corrupti.
3) Si medicorum Romanorum libros inspicias saepius verbum simplex „terere" invenies: cf. e. g. Scribon. Larg. c. 5 (p. 8, 7 Helmr.), 21 (p. 12, 26), 22 (p. 13, 22), 32 (p. 17, 21), 131 (p. 56, 25), 180 (p. 74, 10); qua ex re potes corruptelam explicare: quendam posuisse compositi loco verbum usitatius „terere". Sed „senapi contritum" habes e. g. ap. Cels. V 12, verbum conterendi ap. Scribon. Larg. e. g. c. 231 (p. 93, 27 H.), 148 (p. 62, 15).

Orta autem corruptela et quod usitatius verbum erat „terere“ et quod in praecedentibus sequentibusque versibus cocus de hominibus (plurali numero) loquitur.

c) Terentius.

Andr. 931: audívere (a. d.)

d) Novius.

77 (ap. Gell. XVII 2, 8): quaesivérunt (a. d.).

e) Phaedrus.

IV 23, 18: petiérunt; IV 26, 32: sciérunt; I 2, 11: pétiere (el.).

f) Seneca.

Phoen. 635: petiére. (Oed. 480. 486: petiére — in cantic.).

Summa:

Plautus: et „-iverunt“ et „-ierunt“.
Terentius Noviusque: „-iverunt“ (a. d.)
Phaedrus, Seneca: semper „-ierunt“.
Dactylici [1]: -iverunt semel (Prudent. Sym. I 27).
-ivere 21-l.
-ierunt 44-r.
-iere 216-ies.
Cicero [2]: -iverunt 5-ies, -ierunt 19-ies.
Caesar [3]: -ierunt bis.
CIL I: composeiverunt (Sentent. Minuc. a. 117).
posierunt Nr. 1284.

1) Schefflerus, p. 49 sq.
2) Frohweinius, p. 5.
3) Frohweinius, p. 7 adn.

Iam finem faciamus, neque enim tempore premente verbi eundi perfectum ceteris perfectis in -ivi exeuntibus adiungere potuimus neque posterioris aetatis poetas iambicos, eos dicimus, qui post Senecam tragoediarum poetam fuerunt, legere res aut tempora siverunt. Trium autem saeculorum exempla qui diligenter examinaverit, leges illas duas, quas supra p. 94 constituimus confirmatas esse concedet; nam verba sane, quorum perfectum in -evi et -ovi cadit, extra harum legum fines esse ponenda apertum est, nullo enim tempore illorum contractio in gratia usquam fuit exceptis videlicet verbis „quiescere“, „consuescere“, „insuescere“, „assuescere“, verboque „noscere“, quae omnia inde a Terenti Afri aetate semper fere contracta sunt. Sed cave expellas eas formas, quae legibus illis repugnant, nam cum ceteris in rebus tum in perfecti contractione progressus non uno die factus est, sed paullatim et pedetemptim. Contra omnes formae, quae c o n i e c t u r i s v. d. illatae leges nostras laedunt, de medio removeantur, velut -averam medium in versum poetarum iambicorum post Plautum illatum, vel -avisti poetis, qui post Terentium vixerunt datum, -avissem post Ennii aetatem.

— Denique nonnulla de accentu adicienda sunt, nam vidimus longe in plurimis verbis versûs ictus cum accentu verbi congruere, quod praesertim ad eas pertinet syllabas, quae cum ex contractione exortae sint duas quasi continent, e. g. Plautus in terminatione -asti semper accentum in paenultima posuit: -ásti. Si versus ictus cum accentu verbi dissociatus est, hoc excusatur

aut elisione: Mil. 726 p a r á v i s s e u n o
aut enclisi: Cu. 18 c e n a v i s t í n e

aut eo, quod verbum ante ultimum iambum (senarii aut tetr. tr.) positum est, e. g.:

Ba. 564 Quíbuscum haberes rém, nisi cum illa, quám ego mandassém tibi.

Quibus omnibus exceptis mali accentûs perpauca restant exempla.

— Cum iam in singulis formarum ordinibus tractandis et poetarum dactylicorum et Ciceronis Caesarisque usum cum iambicis comparaverim, item exempla attulerim ex CIL v. I deprompta, nunc vero in excursu I omnia exempla et CIL v. I pro temporum rationibus digesta et Catonis in libro de agri culturâ obvia proponenda esse censui.

Excursus I.

I) CIL I.

A) Aetatis certae:

a. 186 a. Chr. Nr. 196 S. C. de Bacanalibus.
v. 13: conioura[se].

ca. a. 159 a. Chr. 201 S.C. de Tiburtibus.
v. 3: purgavistis; 5: audiveramus.

aet. fere Gracchan. 207 Legis incertae fragm. Florentinum.
v. 14: [p]etiverit.

intra a. 133 et 118 a. Chr. n. 197 Lex lat. tabulae Bantinae.
19: iouraverit
20: ioudicaverit 21: iurarint.
26: [io]uraver[int].

a. 123 vel 122 198 Lex Acilia repetundarum.
15: exaestumaverit 24: iurarit.
34: conquaesiverit 49: negarint.
40: postulaver[it] 54: pronuntiarit.
43 et 45: noverit
68: aestumaverit 32: audierit.
72: abdicaverit 62: quaesierit.

a. 117 a. Chr. 199 Sententia Minuciorum.
2. cognoverunt; composeiverunt.
a. 112 vel 111 (?) 563.
v. 8: coeraverunt.
a. 111 a. Chr.: 200 Lex agraria.
11: adsignaverunt
abalienaverit
15: „ (bis)
21: locaverunt
44: ioudicaverunt
64: abalienaverit
69: abiudicaverit
81: adsignaverunt
88: locaverunt.
a. 108 Nr. 565 v. 8: coeraverunt
a. 108 Nr. 566 v. 10: coiravere
a. 106 Nr. 567 v. 9: coiravere.
a. 105 Nr. 577 III. 11: probaverint; III 12: inprobarint.
a. 71 Nr. 204 Lex Antonia de Termessibus.
I 32 et II 27: abalienarunt.
a. 61 Nr. 600 d.: probaverunt; h: probaverunt
a. 58 Nr. 603 Lex a vicanis Furfensibus templo dicta.
v. 1: dedicarunt.
a. 54 Nr. 610: terminar[unt].
a. 54 Nr. 611: terminar[unt].
a. 51 Nr. 617: iouraver[unt].
a. 45 Nr. 206: Lex Julia municipalis.
v. 38: locaverit 121: accusasse.
48: curaverit
114: abiuraverit
„ iuraverit
„ renuntiaverit.

a. 49—42 Nr. 205: Lex Rubria de Gallia Cisalpina.
I 9: postulaverit
iuraverit
29: decreverit
39: „
II 56: postulaverit.

B) Aetatis incertioris:

1) Forma plena („coiraverunt", „coeraverunt", „curaverunt", „sacraverunt"): NNr. 568. 569. 806. 1111. 1116. 1117. 1118. 1136. 1137. 1141. 1145. 1149. 1150. 1162. 1163. 1188. 1192. 1196. 1230. 1280. 1293. 1343. 1406. 1412. 1419. 1425. 1428. 1477. 1555.
2) forma contracta (in verbis isdem): NNr. 1150. 1178. 1187. 1189. 1218. 1247. 1250. 1251. 1252. 1278. 1279. 1407. 1478.

(praeterea „posierunt": Nr. 1284).

Summa: 1) form. plenae 71; 2) contr. 27.

2) Cato.

I „De agri cultura l." ex rec. H. Keil, Lips. 1884:
a) -evi: cap. 88, 2 concreverit; c. 69 leveris; 112, 3 inpleveris (bis).
c. 6, 2; 43, 2; 45, 3; 161, 2 (bis) severis.
b) -ovi: c. 134, 4 obmoveris.
c) -avi: α) -avisse: 5, 4 celavisse
β) -avisti nusquam
γ) -averim et -arim
1) -averim: 4 (bis); 5, 2; 18, 7; 39, 1 (bis); 41, 3; 42; 50, 2; 54, 1; 76, 3; 92; 112, 2; 144, 2; 144, 5 (bis); 145, 3; 146, 3; 147; 148, 2; 156, 1.

2) -arim: praef. 1; 2, 5; 144, 3; 146, 2; 148, 2; 149, 2; 157, 10.

d) -ivi: 1) -iverim: 4 (bis); 40, 3; 75; 88, 1; 113, 2; † 125; praef. 1.

2) -ierim: 155, 2.

3) sirim: 141, 2 sq.

Summa: 1) formae plenae 40; 2) f. contr. 9.

II Caton. frg. a. Iordano coll., Lips. 1860: 1) f. plenae 19; 2) contr. 4.

Excursus II.

De verbi „nisi“ prosodia.

„Nĭsĭ“ particulam condicionalem negativam ex „nī“ et „sī“ constare cum apertum sit, multi viri docti antiquae prosodiae verbi compositi vestigia quaeritabant. Neque desunt, qui iambicam quidem huius vocis mensuram in Plauto deprehendere sibi visi sint [1]). Post luculentam Ritschelii disputationem [2]) est pervulgata res s. VI usque ad iniens s. VII homines Romanos „ne“ scriptitasse, s. VII „nei“, tum autem „ne“ restituisse, cum ceteris fere omnibus in verbis s. VIII ex „ei“ fecerint „ī“ [3]) (facteis = factīs, sei = sī, ibei = ibī = ibĭ), item ex „nei“ cum „sei“ (= „si“) composito. Haud scio an hanc coniunctionem („ne“), quae vim prohibitivam

1) Cf. e. c. Lachmanni Lucret., p. 90 sq., Ritschelii Proleg., p. CLXIX sq., Klotzii Metr., p. 51. — Dziatzko (ad Ter. Adelph. 394) Terentio quoque „nisī“ dedit; vide infra.

2) Mus. Rh. 1852, p. 479–494 (= Opusc. II p. 622–646).

3) Quamquam non deest scriptura „ni“, v. Ritschelium, l. l., p. 625 (= 481 sq.).

habet, ita formaverint, ne cum „ni“ condicionali confunderetur, quod Ritschelius coniciebat. Ex „sei“, quae particula olim „se“ fuerat, „sī“ ortum est secundum consuetudinem orthographicam. Sed prius desitum esse „nisei“ scribi quam „sei“ tituli docent, nam ne anno quidem 709 scriba senatorius in lege quae dicitur Julia Municipali „si“ scripsit, „nisi“ in hac ipsa lege plerumque, cum „nisei“ semel tantummodo extet[1]). Ex „nīsī“ (vel „neisei“ vel „nēsē) primum „nisī“ natum est mensurâ iambicâ, tum vox pyrrhichia „nĭsĭ“. In mentem mihi venit Buecheleri de „sīquidem“ anapaestico disputatiunculae lepidissimae (Archiv. III p. 145 sq.), qua perpaucis verbis et Spengeli et C. F. G. Muelleri argumenta refutavit. Ut sīquidem tribrachicum, ita „nīsī“ iambicum factum est, sed prius hoc quam illud, nam inter sescenta exempla prima syllaba longa non extat nisi perraro. Sed ne iambica quidem vis diu viguit: duabus enim voculis in unam coalescentibus accentuque in priorem syllabam cadente iam iam lex illa vocabulorum iambicorum ex iambo pyrrhichium effecit haud secus atque ex “ĭbī“, „ŭbī“, „mĭhī“, „tĭbī“, „sĭbī“ factum esse „ĭbĭ“, „ŭbĭ“ cett. nemo est quin sciat.

Ac antiquissimae quidem mensurae spondaicae nulla in Plauto inveni nisi haec exempla:

I nīsī.

1) Mo. 1006 sq.:

Haud póstulo edepol. # Vérum cras nīsí prius
Vocáverit me, vél apud te cenávero.

Cum in enuntiato condicionali „qui“ vel „quis“ desideremus, quaeritur: post „nisi“ an post „vocarit“ pronomen

1) In lege Agraria a. 643 uno loco „si“ ponere ausus est (cf. indices orthographicos in Schneideri Dialect. Italic. exempl. sel.).

indefinitum inserendum sit; ego hoc conicio, Luchsius et Schoellius Camerarium secuti post „nisi" „quis" scripsere, Seyffertus „qui". Sed „vocarit" initio versus melius est quam „vocaverit", quod formae coniugationis primae pleniores „-averim", „-averam" nusquam fere in fabulis Plautinis occurrunt, nisi in fine versuum vel ante diaeresim tetrametrorum, inter 70 enim exempla semel talis forma extat non in fine posita: Mil. 263.

2) Pers. 234 sq.:

Séd ego cesso. # Máne. # Molesta's. # Érgo quoque nīsī́ scio
Quó agas te.

Haec libri; in quibus nihil mutandumst, nisi „ergo" in „ero" (cum Pio); Bothius, Schoellius „ergo ero quoque"; „ergo quoque ero" Luchsius Studem. Stud. I p. 50; „ego quoque" Klotzius, Metr. p. 153.

Klotzius l. l. talem hiatum in caesura admisit:

Séd ego cesso. # Máne. # Molesta / és # Ego quoque nisí scio.

Ille l. l. p. 147—155 statuit licuisse Plauto orationem in diaeresi trochaica hiantem formare, quam mihi rem probavit, tamen inter plus 130 exempla, quae coacervavit, ne unum quidem versum inveni, in quo duo verba artissimis vinculis coniuncta dirimantur ita, ut non solum hiatus efficiatur, sed etiam alterum verbum monosyllabum sit, quo oratio finiatur. Tres autem versus sunt assimiles, prior:

Mo. 1090 Éxperior ut opínor. Certum / ést. # Mihi hominém cedo.

At vero secundum Klotzii distributionem nova persona ante „certum est" loqui incipit! Tum duo versus, qui ab una persona pronuntiantur:

Men. 778 Néscio quid vos vélitati / éstis inter vós duo.
Poen. 371 Égo faxo si nón irata / és nimium pro té dabit.

Sed in Poenuli versu Ambrosianus aut aliud aut plus quam „nimium“ olim habuisse videtur.

Itaque Klotzium nemini probaturum censeo Pers. v. 234 posse cum hiatu gravissimo legi. Quare lenissima Pii medela usus versum ita, ut supra eum exscripsi, metior[1]).

II nīsĭ.

3) Amp. 280 Nísi item unam, vérberatus quám pependi pérpetem

Goetzius Loewiusque cum Fleckeiseno „itidem“; Lachmannus „Nisi si item“, quod falsum esse eodem argumento demonstratur, quo infra in Rud. v. 581 quae in A tradita sunt defendentur; Guyetus transposuit „verberatus unam“, quo verborum ordo pessum datur; Leo „Nisi pridem unam“.

4) Aul. 445 sq. Ita mé bene amet Lavérna, te iam nísi reddi
Mihi vasa iubes pipulo hic dífferam ante aedes.

v. 445: sic omnes libri cum Nonio.

v. 446: sic FZ; „populo hic“ BJV, „populos hic“ D; „pipulo te hic“ Non. p. 152, 4; „pipulo te“ Non. 284, 20[2]); „pipulo te“ Varro l. l. VII 103 (p. 160 M.)[3]).

1) Consulto omisi As. 532 (cum hiatu in diaeresi legitimo) et As. 779 (qua in scaena hiatus in syngrapho tolerandust, ubicumque traditur).

2) Neque quae Hermannus Caesar in Diss. philol. Argentor. XI (1894), p. 127 sq. de Nonii testimoniis egit, profecerunt neque ille mihi probavit ea, quae de huius cantici structura e Studemundi scholis protulit.

3) Varro non laudavit nisi dimidium vers.: „Pipulo te differam ante aedes“.

Ad hos versus, qui Reiziani dicuntur, emendandos nubes coniecturarum collata est tanta, ut singulas enumerare non possim. Versus quidem 445, si „nīsi“ ponamus, optimus esset, ni „te“ et longius a verbo enuntiati primarii abesse videretur et a Nonio atque Varrone in v. 446 traditum esset; qua de causa cum [Ussingio], Goetzio Leone Langeno faciam, qui „te“ in „uti“ mutarunt; „uti“ sane exspectamus post verba, quae antecedunt: „Ita me bene amet Laverna.“ Versu altero Varronis testimonio gravissimo nixi „te“ post „pipulum“ inseramus, tum alteram partem sic legamus:

te díferam ănte aedes.

At primam versus partem haud scio an non possimus cum Klotzio, Metr. p. 523 sic constituere:

Mihī vāsắ iŭbes pípuló,

nam primum quidem thesim et arsis solutae partem priorem trochaico verbo explere non licuit praeter primum senariorum pedem; licuit enim poetae versum sic ordiri:

Mūltắ tibi,

quamquam id quoque rarum est, non licuit sic:

Et núnc mūltắ tibi [1]).

Porro „mihī“ primo pede aures offendit: inter septuaginta fere mensurae iambicae vocum mihī, tibī, sibī exempla a Niemeyero [2]) collecta nullum versum (exceptis sane baccheis et creticis) invenies, qui ab hoc iambo initium capiat, id quod

1) Quod licuisse ut probaret, Klotzio (Metr. p. 254 sqq.) non contigit, nam quod unum huius generis exemplum invenit, est dimeter iambicus Aul. v. 139, accentibus perdurus:

Nam optŭ́mă nūllắ potest éligi.

2) In Trinummi Brixianae editione quarta, adn. ad v. 761.

non casui tribuendum est. Atque multo hoc magis, quam in senarium, cadit in Reizianum, cuius impetus tali exordio („mihī“) nimis retardaretur. Itaque cum Goetzio et Leone „hic pipulo te“ legendum est:

Ita mé bene amet Lavérna ute / iam nísi reddi
Mihi vása iubes hic pípulo / te dífferam ănte aedes.

5) Ba. 1172 Nīsi ábeas, quamquam tú bella's, malum tíbi magnum dabo iám. # Patiar.

Sic libri, nisi quod B „ni“ praebet. Si „nīsi“ legamus, erit anapaesticus octonarius inter ceteros plerosque septenarios, sed in hoc cantico sunt octonarii, praeter hunc versum, vv. 1151. 1152. 1153. 1167. 1182. 1194, quos omnes Leo binos quaternarios habuit, ex parte cod. B distributionem secutus; priorem h. v. partem ille dimetrum catalecticum fecit, „ni“ pro „nisi“ recepto, alteram — dimetrum acatalectum. Goetzius in ed. maiore (a. 1886) septenarium constituit, cum legit:

Ni abeás, tibi quamquam tú bella's, malum mágnum dabo iam. # Pátiar,

in altera minore (a. 1892) octonarium hunc fecit O. Brugmanno duce:

Ni abétis, quamquam tú bella's, malum tíbi magnum dabo iám. # Patiar.

Verbum, quod est „abitere“ vel „abetere“ viri docti in deliciis habent, iam inde ab Acidalii temporibus, qui Rud. v. 815 verbum traditum „abire“ hiatus in caesura senarii semiquinaria evitandi causa in „abbitere“ mutavit, sicut fortasse iam librarius formam obsoletam suo Marte restituit in Truc. v. 96, siquidem cum C. F. G. Muellero (Pros. p. 185, ann. 2)

trimetrum anapaesticum catalecticum ponimus. Non traditum est, ni fallor, „abitere“ nisi bis R. 777 et Ep. 304, coniecturis v. d. illatum R. 815. 1243; Amp. frg. 15 (!) al. Eadem ratione v. d. in aliis huius verbi compositis inferendis usi sunt [1]), qua in re longius processerunt. Quodsi „abetere“ missum faciamus, aut cum Leone duo dimetri (paroemiacus et dim. acat.) concinnandi sunt, vetere Camerarii duce:

Ni abeás, quamquam tu bélla es
Malum tíbi magnum dabo iám. # Patiar.

aut unus octonarius („Nīsi abeas q. s.“).

6) Cp. 749 Perístis, nīsi hunc iam é conspectu abdúcitis

Pylades Schoelliusque „iam hunc“, ut hiatum expellant.

7) Ep. 279 Úbi erit empta, ut áliquo ex urbe ámoveas nĭsĭ quíd tuast

„Nīsĭ“ sive trochaicum sive spondaicum hiatum post „urbe“ amovet:

Úbi erit empta, ut áliquo ex urbe amóveas nīsi quíd tuast.

8) Men. 822 Nisi quo nocte hac migrasti. — concede hac filia.

Versum sic in libris traditum Schoellius integrum reddere conatus est, cum edidit:

Nísi quo nocte hac éxmigrasti. — tú concede huc fília.

---

1) Cf. e. g. Mil. 997, Cp. 690. 696; vide Schoellii adn. ad Tri. 598. 798. 885. Uberrime de hoc verbo prisco Leo disseruit in Mus. Rhen. 1883, p. 24 sqq.

(„huc“ iam inde a Camerario edebatur). Equidem censeo in „hac“ potius „hoc“ latere[1]); ceterum vix licebit versus alteram partem sic sanare:

cóncede h o c e fílìa,

praestabit „tu“ inserere post „hoc“ (non ante „concede“; v. Amp. 771: Sécede huc tu, Sósia; Rud. 1403: Concéde huc tu, lenó):

cóncede hoc tu, fília.

Prior autem quaternarius in libris recte traditus est his accentibus:

N í s ĭ quó nocte hác migrasti.

9) Merc. 712 Quid núnc ego faciam, n í s ī ut adeam atque ádloquar.

Guyetus, Ritschelius „eam adeam“; C. F. G. Mueller „nisi ad eam adeam“; Langenus Goetziusque „nisi ut ad eam adeam“. At obiecto non est opus, cf. As. 448: „Conticuit: nunc adeam optumumst“.

10) Mo. 80 Periére, et aedes ét ager. qui n ī s i húc redit.

Ritschelii „nunc“ quamquam melius esse concedo, tamen in arte critica bonum melioris hostis.

11) Poen. 888 N í s i eró meo uni índicasso: atque eí quoque ut ne enúntiet.

---

1) Cf. Nordenum in Fleck. Ann. suppl. v. XVIII, p. 293 sq., adn. 2; exemplis ab illo diligentissime collectis duo addere mihi liceat, Plauti alterum: Ps. 586, ubi omnes codd. „hoc . . . adducam“, alterum Planci in Cic. epist. [ad fam.] X 11, 2: „huc“ HD, „hoc“ Mendelssohnius (p. 251, 2) cum Mediceo. Livium hac forma prisca in ll. XXI—XXX usum esse Fuegnerus („Berl. philol. Woch.“ a. 1891, p. 1207 sq.) docuit.

„ero uni meo“ Bothius, Muellerus, Goetzius Loewiusque. „ero meo uni id“ Luebbertus.

12) Rud. 581 Tíbi ego numquam quicquam credam,
nísi accepto pígnore

Sic A; „nisi si“ BCD, Fleckeisenus, Schoellius; „nisi si“, de quo iam Muellerus (Pros. p. 713) dubitavit, Plauti esse non potest, quippe qui hac particula duplici in enuntiatis infinitis non usus sit[1]; ergo legendum est cum Ambrosiano „nīsi accepto pignore“, quod iam Bothius ex suo ingenio coniecit. Videmus igitur iam in archetypum codicum BCD „nisi si“ coniectura librarii sive grammatici illatum esse, cui prosodia „nīsi“ inaudita erat; ille vir nihil aliud fecit atque nostris temporibus saepius editores Plauti: cf. appar. crit. ad Amp. 280, Tru. 231. 465 al.

13) Tru. 465 Mále quod mulier fácere incepit, nísi
efficere pérpetrat.

14) Tru. 620 Perii hércle hodie, nisi húnc a te abigo.
Accéde huc módo, adi huc modo.

Cum anapaestos esse cum Buechelero (iud. schol. Bonn. 1878/9, p. 24) statuamus, prior quidem dimeter, sicut in libris traditus est, stare potest „nī“ syllabâ longâ; versus finis sane corruptus est.

15) Fragm. dub. v. 10 Goetz. (ap. Serv. ad Aen. I 480):

---

1) Amp. 825: nisi si quispiamst Amphitruo alius.
Ep. 22: nisi si in vidulo aut si in mellina attulisti.
Men. 248: nisi si historiam scripturi sumus.
Mo. 769: nisi si in puteo quaepiamst.
Tri. 474: nisi si ille votet.
Tru. 670: nisi si clanculum conlapsus est.
Tru. 782: nisi si ad tintinnaculos voltis vos educi viros.

Númquam ad civitatem venio, nísi cum infertúr peplum.

Sic codd., puto, recte; Bothius „quando infertur"; Winterus „circumfertur"; Buechelerus „cum illi fertur".

„Inferre" verbum de Panathenaeis usitatum est: Athenienses peplum per urbem ferebant [1]) et tum Minervae inferebant [2]).

Praeter hos quindecim locos vix ullum invenies, quo cogitari de „nīsi" possit, nam in Cas. v. 126 in verbo „ruri" corruptela mihi latere videtur, in Cist. autem v. 676 metrum incertum est [3]).

In Terentii fabulis mensuram „nīsi" certam non deprehendi, nam Andr. 249, si cum DEG Donatoque (in lemmate) faciamus, „nīsi" extat, sin cum B „nisi si"; utrum Terentianum sit quamquam diiudicari pro certo non potest, est tamen veri similius Terentium „nisi" trochaicum non adhibuisse. Eadem de causa dubito, num Pacuvius frg. 7 R[2] (ap. Cic. de div. II 64, 133) „nīsi" scripserit:

Non íntellegimus, nísi aperte díxeris,

ubi Ribbeckius cum Ciceronis cod. Leidensi B „nisi si" edidit.

In tredecim prosodiae „nīsĭ" exemplis Plautinis observavi plerumque alteram syllabam ante sequentem vocalem

---

1) Verg. Aen. I 479 sq.:
Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant
Cf. Stat. Theb. X 56 sqq.

2) Diomed., p. 485 sq. K.: „satura a lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos dis inferebatur."

3) Qui versus si dimeter anapaesticus sit, „nīsi" poni liceat. Item sciens omisi versus, in quibus cogitari quidem possit de „nīsĭ", probari certis argumentis prosodia vetustior non possit: Aul. 480, Ps. 178, R. 1141, al.

vel „h" semivocalem elidi, quod non casu factum esse existimo, alterâ enim syllabâ elisâ priori aliquantulum ponderis additur.

III Restat ut mensurae iambicae („nĭsī") exempla exscribamus; quae quidem pauca invenimus, sed tria iam Lachmannus (Lucr. p. 90 sq.) attulit:

1) Cas. 699 (v. bacch.):

Nisí se sciát vilicó non datum íri.

Sic Schoellius cum A; cet codd. „ni". Plautus hic non „nisi se" scripsit, sed „nise se", unde intellegetur, cur in recensione Palatina „nise se" in „ni se" mutatum sit.

2) Poen. 325 Óbsecro hercle, ut múlsa loquitur. #
Níhil nisī latérculos

Hunc septenarium sic iam Goetzius Loewiusque ediderunt.

3) Poen. 243 Nisí multa aqua úsque et diú macerántur,

qui versus est bacchiacus, sicut primus (Cas. 699).

His Klotzius, Metr. p. 51 addidit:

4) Rud. 1092 Híc nisī de opínione certum nil dicó tibi.

„Nisī" iam Schoellius in Rudentis editione.

Illa sunt quattuor exempla Plautina, quibus Terentii nullum adiungere possum, quod in Ad. v. 394 Dziatzko („Adelphoe, erklärt v. D., Leipzig 1881") errore, ni ipse fallor, „nisi" vocem trochaicam habuit, nam hunc versum legat sic:

Tu, quántus quantu's, níl nisí săpiéntia es.

Similes enim non desunt:

Heaut 1055 Quód ego hunc aequom cénseo. # Pater ómniă făciam: ímpera.

Heaut. 1059 Dúmque ignores: úbi cognoris, fáciliă. # Făciám, pater.

Phorm. 162 Aliís, quia defit quód amant, aegrest: tíbi quiă superést, dolet.

Tales versus esse legitimos Luchsius, (Studem. Stud. I p. 13 et 17) demonstravit.

In scaenicorum fragmentis duo triave exempla inveni:

1) Caecil. 144 R.^{2} (ap. Gell. II 23):

<Ét>si taceam, támen indicium, quaé nisī dotem ómnia.

Ribbeckius praeter „et“ supplevit „meae“ post „indicium“.

2) Acc. 138 sq. R.^{2} (ap. Non. 357, 22):

Attát, nisī me fállit in obitú sonus.

Sic Buechelerus; codd. Nonii „obitum sonitus“.

3) Trag. inc. inc. 90 R.^{2}, (ap. Quint. VI 3, 96):

Nisí qua Ulixes íntervasit Lártius.

Sic libri optimi, nisi quod „nisi si“ ex Ambr., Bamb. Ribbeckius sumpsit.

En habes antiquae vestigia prosodiae, quam etsi non omnibus in versibus supra allatis latere viris doctis me persuasisse spero, tamen me nusquam iure eam elicuisse nemo contendet. Quod orthographia obsoleta ne in uno quidem ex his locis comparet, sane dolendum est, at si quis a mea sententia abhorruerit, argumento illud esse minime

poterit, nam tituli iique maxime, qui magistratuum senatusve iussu positi sunt, antiquam orthographiam quasi prisci moris notam prae se ferunt neque se ad hominum litteratorum usum scribendi nisi magno temporis spatio intermisso adplicare solent, quod, quicunque vel graecae rei epigraphicae vel latinae operam navant, bene noverunt. Ceterum nonnulla codicum vestigia notavi, attamen cum perpauca sint utrum aliquam vim iis tribuam necne incertus sum:

Mil. 295: nesi B[1].
Mil. 300: nesi B[1].
Poen. 839: nesi BCDFZ.
St. 296: ne si B.
Tru. 782: nesisi BC, nesi si D.

Praeterea fortasse „te nesi" in „tunc si" latet, quod Nonii libri in Pacuv. v. 148 R.[2] exhibent (v. Ribbeckii Trag. fragm. p. XLII) [1]).

1) Cf. quae supra p. 180 in Casinae v. 699 suspicatus sum.

I. Index rerum.

II. Index locorum.

3589113
CANCELLED
DEC 23 '71 H